XXVII
2494

Aüxiliante Mediatore Summo.

MORBOS

Ab

INCANTATIONE ET VENEFICIIS

Oriundos

Permissu & Authoritate

Amplissimæ Facultatis Medicæ in Academiâ Lipsiensi celeberrimâ,

SUB CLYPEO

Viri Amplissimi, Excellentissimi & Experientissimi,

Dn. JOHANNIS MICHAELIS,

Phil. & Med. Doct. Therapeut. Prof. P. Facultatis suæ Decani Spectatissimi, Acad. Decem-Viri, Collegiorum Principum Collegiati & Archiatri Altenburgici &c. Domini Præceptoris, Promotoris, Avunculi & Susceptoris sui parentis instar æterno cultu prosequendi.

Publicè examinandos proponit,

Propositosque pro virili defendendos suscipit

ANTON MARQVART, Susatensis,

ad d. 27. Jun. horis locoq; statis.

Typis Hæredum Timothei Hönii.

ANNO 1650.

A.42266 (16)

NOBILISSIMUM. AMPLISSIMUMQ.

SENATUM.

SUSATENSEM.

VIROS. CONSULTISSIMOS.

REIP. PATRES. EMERITOS.

PATRIÆ. PROCERES. PRUDENTISSIMOS.

PATRONOS. MEOS. MAGNOS.

CORNELL UNIVERSITY LIBRARY

Submissè. Et. Officiosissimè.

Saluto.

ANTON. MARQVART.

DE mirari non injuriâ multos concerno, CONSULES, SYNDICE, ET RELIQVI SENATORES, GRAVISSIMI, SPCTATISSIMI, hodiè etiam existere judices qvosdam adeò parum cordatos, & adeò negligenter toti humano generi, atq; Ejusdem prospicientes Bono, ut horrendum illud Veneficorum, Triveneficarumq; pecus tollere è medio, & qvamvis ante oculos cognitionem manifestò tales emineant bestiæ, ad pœnas supplicia q; justa rapere non sine tremore vereantur: Imò, qvi eò dementiæ & impiæ cœcitatis pervenerint, ut, qvæ de stupendis Lamiarũ sacris traduntur & agitantur passim, futiles esse fabulas & mera nugamenta pronuncient, atq; adeò nullum penitus lædi his artibus aut ligari posse, pessimè credant. Verùm enim verò nos aliter longè sentimus, & à rectè sentientium parte firmiter stamus, statuimusqve, non tantùm summoperè nocivum, pestiferum, omniq; peste pejus detestandum esse hoc mortalium genus, verum pœnâ qvoq; acerbissimâ tanqvam DEI abjuratores,

D6

res, tanqvam jugiter infensissimos piæ felicitatis & humanæ prosperitatis hostes esse mactandos, extirpandos, eradicandos, qvemadmodum hâc de re prolixius & clarè præclaro de Lamiis libello contra Wierum, *Medicum suæ qvidem tempestatis celebratissimum, qvem juxtim secuti illi* Jurisconsulti Kirchovius (lib. de jure censuum) & Godelmanus (lib. de Mag. Venef. & Lam.) *disputat* Thomas Eraſtus. *Patebit hoc ipsum præterea undiq; & ubiqve, præsertim nisi displicet veneranda, cùm* Juris Canonici, tum civilium Legum *volumina evolvere: Ibi profectò laudatissimos qvosvis Imperatores & bonæ Conscientiæ Magistratus illa Cacodæmonis mancipia serio semper animo realiterq; execratos esse inveniemus & inventæ justitiæ adplaudemus. Dicti veritatem in propatulo sistit* Concilium Constantinopolitanum Secundum, artic. 26. 60. & 61. q. 1. 2. 3. *eamq; dein confirmat egregiè jus Romanorum civile;* Lex *qvippe* Julia de Veneficis *expressè ad capitis pœnam hos reposcit, & Augustissimus* Imperator Leo Constitutione Novellâ authenticâ suâ LXV. *iisdem præstigiarum ministris & veris diaboli larvis graviorem adhuc pœnam dictitavit. Ast extra oleas ne ferar, qvid mihi hâc cogitationis alâ volanti inciderit interim, edisserendum vobis puto,* PATRONI ÆVITERNUM HONORANDI. *Scilicet animadverti statim inter infinita nocumenta, qvibus magi Sagæqve afficiunt & angunt vitæ sodales, seu nobilissimum* MICROCOSMUM, *non pauca, non levia, sed vel omnibus sensibus tremenda spectitare gratum sanitatis contubernium. Hoc qvàm miserè, qvam stupendum in modum sæpius sæpissimè destruant, ac nescio qvibus characteribus, fasciolis, torqvibus & ejusmodi feralibus Ceremoniis aliis sani corporis usum corrumpant, verbisqve vel ipsi Satanæ ignotis morborum agmina includant, totâ die experientia testatur. Qvacirca statim cupido & curiositas mentem subiit, compendiose ex Litteratorum Medicorum præcipue scriptis, qvid asseruerint, qvidve consuluerint circa genium & curationem horum* MORBORUM DIRIS DEFIXORUM, *colligere, seligere atq; exinde notatu digna qvæqve*

——— *apis matinæ*

More modoqve.

Veluti exsugere, & ita calamo saltim levi miniq; in hâc angustiâ char-

ta delineare, si penicillo coloribusq; vivis exprimere ingenii mei paupertas recuſet. Non diffiteor qvidem, ingreſſum me viam inſigniter difficilem, & qvamplurimis obſitam obſtructamqve vepribus, (Epiphan. Ferdinandus Theor. Med. Phil. l. 3. theor. 43. Sennertus l. 6. part. 9. c. 5. prax. Rod. à Caſtro l. 4. c. 1. de off. Medico-Polit.) *neqve occulere animus eſt tenuitatem meam virium, qvæ expediundo huic arduo negocio vix ſuffecerunt, attamen qvum magna etiam tentaſſe, magnisqve mentem adplicuiſſe profuerit ſæpenumero, & difficultas,* (*qvæ longè chariora eſſe ſolent qvæſita, & accuratius ſemper ſervantur,*) *ilico victas porrexerit manus utilitati, aleam hanc eo confidentius jacere potui, & Auxiliante Mediatore ſummo hanc in faciem lecta & collecta formare allibuit.*

Vobis autem, PATRIÆ LUMINA CLARISSIMA, hoc ſtudiorum meorum ſpecimen dijudicandum offerre atqve officioſisſimâ dedicatione inſcribere pariter volui ac debui, ut authoritate veſtrâ, qvâ polletis ſumma & qvam publicitus ſuſtinetis, publici favoris viam benignè mihi aperiatis: Neqve Ductoribus aliis, qvam VOBIS, portum tangere, agitato jam diu maritimis modis in Academiarum Oceano, dabitur. Ita pro Benignitate Vobis erga Patriæ filios innatâ ſolitâqve annuite deſiderio meo, qvo ut ſerena fronte intentionem hanc meam accipiatis vehementopere exopto: Ita Benè diuqve Valete & me Amplisſimis Veſtris Nominibus ſemper devotum promotione benevolâ ſuſcipite.

Nucleum

THESIS I.

NUcleum sibi qvi cupit, frangat nucem oportet. Scrutinium rei meritò jure sic præcedit evolutio Nominis. Alioqvin cœcis veluti ducibus ad lucem pervenire qvis tentaret, & illotis, qvod dicitur, manibus rem adgrederetur. Neqve errat calcatum publicè callem non fugiens. Ita enim placuit Magno *Galeno* nostro (*lib. 2. Med. simpl.*) qvi ne qvispiam perturbaretur in cognitione rerum ipsarum, sedulò prius conturbatas voces & earum explanavit aut explanare jussit usum. Ita qvoqve Subtilitatum Magistro (*Scal. Ex. 1. sect. 1.*) arridet pariliter, qvi vocis origine nos deduci in notitiam rei fideliter docet. Neutiqvam ergo moror, qvicqvid etjam dissvadeat *Martinus Delrio, lib. 5. disqvis. Magicar. s. 10.* dicens, putidam diligentiam esse, si qvis multùm sollicitus sit in ὀνοματολογίας cortice. Nec enim multus, nec anxius hoc in negocio ero, sed saltim necessaria tangam, & vel tribus proponendo ea exponam.

II. INCANTATIONEM igitur descendere à CANTARE, tam est clarum, qvàm Solis, cùm sudum est, radii esse solent. Cantare autem Veteres de verbis & Carminibus Magicis familiariter dicebant, qvod preces illæ ferales certis adstringerentur numeris, & sic nefanda hæc sacra peragerentur. Hinc qvoqve Excantare olim perinde, ac Magico cantu obligare, & INCANTANDI verbum, propriè acceptum, idem sonabat ac dira vota, dirosqve exin effectus intimis visceribus velut insinuare, seu aliqvid aliud grande moliri qvod impossibile & contra Naturæ Leges fieri judicabatur. Poetæ adsunt, qvi usurpationem datam abundè suâ communiunt authoritate. Prodeat *Maro* & canat *Eccl. 8.*

Carminibus Circe ſocios mutavit Ulyſſis.
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Adduco & *Claud. 1. Ruff.* inteſtimonium:

——— Novi qvo Theſſala cantu
Eripiat Lunare jubar, ———

Addo præterea *Naſonem 2. Amor. 5.*

——— Cantatis Luna laborat eqvis.

Neqve prætereundus hic *Seneca Tragicus in ſuâ Medeâ*, qvæ qvaſi tota in triſtibus his ſacris occupata & dum

——— Sonuit ecce veſano gradu
Canitqve: Mundus vocibus primis tremit.

Eademqve Theſſalici furoris plena ſic ait:

Hyadeſq; noſtris cantibus motæ labant.

Item: Sopi de primum cantibus ſerpens meis.

Et: Æſtiva tellus floruit cantu meo.

Qvo ſenſu nonnunqvam uſurpata reperiuntur qvoqve EXCANTANDI & INCANTANDI verba. Ita enim *Lucan. l. 6.*

Mens hauſti nulla ſanie polluta veneni
Excantata perit.

Et *Plin. l. 28. c. 2.* inqvit: qvi malum incantaſſet carmen. Et *alibi c. 21.* qværit: Valeantne aliqvid verba & incantamenta carminum? Ut plurimum tamen carmini infauſto junguntur res qvædam & herbis verba, veluti *Virgil. 3. Georg.* innuit:

Miſcentqve herbas & non innoxia verba.

Et cum ipſo *Sen. de Med.*

Addit venenis verba non minus metuenda.

Verùm hodierno ævo INCANTATIONES & INCANTARE pro qvovis Magico ſumuntur Magiſterio, qvemadmodum Cantandi verbo econtra rarius notatur veneficium, niſi cum carminis cujuspiam prolatione. Nos vernaculâ lingvâ vocamus. **Hexerey / Zauberey / Behexen / oder Bezaubern.** Belg. **Beſweren.**

III. Nec dicto nomine adqvieſcunt *auctores*, ſed pro diverſitate actionum, qvas incantatores exercent, variis etiam appellationibus in diverſis lingvis utuntur, qvamvis eæ inter ſe tàm exactè ſemper non conveniant, & ſua palàm patiantur diſcrimina, ut *infra* videre erit. Ita autem *auctores* confundunt hæc nomina,

ut

ut unumqvodq; unum, vel plura & cuncta unumqvodqve significare videantur, id notante *Viro egregiè de Castris Apollinaribus merito Daniele Sennerto p. m. l. 6. pract. Med. part. 9. c. 2.* Non tamen animi mens est, singulas eas hic attingere voces, qvæ passim ab *auctoribus* circa hanc materiam adducuntur. Sed eas saltim contemplabimur hâc vice, qvæ cum ACTIONIBUS MAGICIS & INCANTATIONIBUS aut idem planè indigitant, aut innuere videntur.

IV. Qvâ Græcam: φαρμακίας vocula familiaris admodum fuit antiqvis, apud qvos pro omni genere Veneficii, qvo vel hominibus, vel jumentis, vel frugibus, seu carmine, seu alio qvovis incantâdi ritu inferri potest noxa, accipitur, sicuti manifestè id patet ex *Platone lib. 10. de Legib.* Et *ex Aristotel. 6. histor. animal. cap. 25.* cui φαρμακίδες nominantur. Accedit & *sancta pagina* ubi *Apocalypsos cap. 18.* φαρμακία pro præstigiis & impostura sumitur. Qvanqvam γοὴς præstigiatorem propriè significet, & qvemcunq; denotet impostorem. (*Delrio lib. 1. cap. 2. disqvis. Magic.*) Dicuntur etiam ἐπαοίδοι incantatores, μαντέες arioli seu divinatores alioqvin.

V. Qvâ Latinam: Magiæ vocabulo tritius ferme nihil audias. Ita Magia incantatio est & incantatio Magia. Qvod qvidem nomen, à Barbaris ad Græcos, Latinosqve traductum, initiò apud Persas & Chaldæos in summâ honoris amplitudine habitum est: Nihil enim aliud per Magum notabant qvam sapientem (*Ælian. l. 2. variar. histor.*) Seu juxta *Isidorum*, de Sideribus philosophantem, qvi titulus ceu peculiaris gloria arrogabatur etiã Regibus, si *Ciceroni & Peucero de Divinat. aliisq;* fides non deroganda. Nunc seculi autem secretionem qvandam afferre amant & proinde Magiam dividunt in Artificialem & Diabolicam, Bonam & Pravam, Licitam & illicitam, Tandem in Albam, qvam sine ulla conscientiæ labe à qvovis tutò exerceri posse tradunt; & Nigram, qvam minus licitam, imò planissimè prohibitam asseverant. Verum ipse *Cornel. Agripp.* Magorum qvondam Coriphæus *de vanitat. scient.* damnat, etiam illam sic vocatam albam, atqve sub eâ tanqvam salubri herbâ insignem latere anguem & pestilentissimum virus ingenuè confitetur. Dum enim per illam nomina Dei & sanctorum præ-

prætenduntur angelorum, insidiosè ac qvasi per gradus insensibiliter Dæmonum fallaciæ obtruduntur, altiusqve imprimuntur. Qvamvis qvidem albæ Magiæ præcepta sobrietatis modestiæqve virtutes præscribant, ac inculcent, tamen hæc à Diabolis confieri, ut se dumtaxat in Angelos lucis transforment, & rictibus stygiis horrificisqve rostris sanctos paulisper vultus inducant, piè submonent Theologi. Ideoqve cavendi hi canes & cavenda maligna hæc esca. Qvacircò seriâ mente *Thomas Erastus Disp. de Medicina nova Philippi Paracelsi p. 133.* rejicit Magiam qvamcunqve, & *Bapt. Portam* reprehendit, qvod *in suo libro de Magia*, multa superstitiosa & qvamplurima falsa miscuerit veris, ac mendaciorum cœno alibi tradu&to scriptum suum deturpârit. Neqve concedit habuisse Persas Magiam aliam, qvâm infamem illam, qva certis sacrificiis & Sacerrimâ veneratione Dæmones alliciebant, explorabant, eorumqve opera futura prænunciabant & mirabilia alia neqviter præstabant (*p. 129. 131.*)

VI. Qvicqvid verò sit, malo consistere tamen in medio, & asserere potius cum *Pierio l. 1. de Magia c. 3.* Dari Magiam aliqvam Naturalem & licitam, qvæ primo qvidem intuitu stupenda qvasi efficere videtur, sed nihilominus ea omnia ex causarum Naturalium fonte promanant, qvamvis mentis nostræ caligini illæ sint absconditæ penitus. Saltim suæ consideration i subjiciat qvis curas illas Magneticas, transplantationes morborum in arbores, vulnerarium mirificæ efficaciæ balsamum, pulverem sympatheticum & qvæ sunt ejusmodi alia qvàm multa (qvæ peculiarem ut mererent, sic sanè deposcerent sibi tractatum) & nullus dubito, qvin prono pede desubito in meam sit descensurus sic sententiam. Verum enim verò ut nomẽ hoc venerandũ, nunc odiosissimũ planè effecit impostorum colluvies, & eo saltim indigitãtur, qvi fœdere cum Diabolo conceptissimis verbis inito, se illi qvocunqve modo obligarunt, & proinde detestanda ejus operâ ad rem qvamcunqve perficiendam utuntur. Ita & omnes boni abhorrent jam ab hoc nomine, neqve se studium huic navare arti facilè fatebuntur. Sed hâc in parte subsistunt in causis secundis, & qvod cognoverunt ex posteriori, experiuntur intemerato animo, sineq; ullâ maleficæ superstitionis ea imitantur suspicione. De Magiæ autem

tem ſpeciebus, definitione, & qvi revera Magi dicendi, qvi plura cupit, adeat *Joannem Freitag. in noctib. Medicis. c.28. & Sperlingium, in Inſtit. Phyſicis cap. de Magia.*

VII. Seqvior ſexus qvi in ſecretum vocantur admiſit hanc peſtē, variis inſignitur nominibus: Modò enim, *Cicerone* atteſtante *in 13. Philip. & Ovid. Epiſt. 6.* VENEFICÆ, qvòd lacertas viperinumq; ſanguinem potione miſceant, & penetrantiſsima conficiant venena, addentes verba & imprecationes, vel ex Phlegethonteis paludibus petitas, tantùm ut hominibus, animantibusq; cæteris, inſtinctu Diaboli, qvi ab initio homicida truculentiſſimus eſt, noceant, excrucient vel lethali funere ſternant. Hinc & maleficæ audiunt, utpote qvæ nil niſi malefacere, peſſimè agere & peſſundare ſciunt.

IIX. Sagæ nominantur qvoqve ſuperſtitioſæ illæ beſtiæ, & vetulis præcantatricibus propriè qvaſi tribuitur hæc nuncupatio. Hæ autem non ſemper malas cudunt monetas, & nocendi venenum diſpergunt, ſed qvandoqve vetitis his artibus aliqvid procurant, qvod ſpeciem boni habet & commodi. Sic dictæ à ſagiendo (unde vulgus noſtrum eas nominat **die klugen Frauen**/ qvaſi Sagaces: Sagire enim notat callidè ſentire) vel ut *Acron* habet, *Comment. in lib. 1. carm. Horat. Od. 27.* qvod ſatis agant, id eſt, qvod carminibus vel accerſere poſſint mala hominibus, vel expellere. Qvod inqvam ſe ſcire & efficere poſſe profiteantur, qvæ naturaliter præſtare aliis eſt impoſsibile: dum nempe ex pacto cum malo Dœmone ignota & arcana revelare, magna dicere, eventusqve futuros prædicere, vel tempeſtates ciere, hominibus, brutis, ſegetibus officere valent, aut ſe poſſe dumtaxat perſuaſiſſimum habent: qvam ad rem cryſtallo, carminibus, ſimulacris, circulis, notis, nodiſqve & infinitis impoſturis aliis utuntur. Et hæ ipſæ ſunt, qvas vocamus **die Hexen/ Unholden/Drachenhuren etc.**

IX. Lamiæ inſuper dicuntur ab Ethnicorum Lamiis, qvæ apertè cum Dœmone fœdera jungunt. (*Eraſtus l. c. p. 193.*) Ethnicis autem Lamiæ erant Lemures, & illa libidinoſiſſimæ intentionis ſpectra, ſeu phantaſmata qvæ cum prodeſſe ſe velle, & amorem juvenum ambire mentirentur, formoſiſſimarum mulierum faciem aſſumebant, cum verò obeſſe vellent, ſtupendâ ſpecie com-

parebant, & tum Empusæ vel μορμολυκείαι appellantur: qvoniam ergo præstigiatrices hodiernæ cum spectris & Dœmoniis colludere, convivari, saltare, libidinem exercere, & qvæ occurrunt alia in fœdissimâ hâc conversatione, peragere dicuntur; (qvalia contingere in monte Bructero, ubi Sagarum egregius ille, si Diis placet, conventus qvotannis institui creditur, in ore vulgi atqve communibus proverbiis jam pridem fuit) hinc Lamiarum cognomen ipsis qvoqve non injuriâ attributum.

X. Porrò non deficiunt inauspicata nomina alia, qvibus hæc maleficiorum monstra adpositè signantur. Ita enim à nocturnâ & pessimâ illâ alite sc. strige, striges pariter vocitantur mulieres Maleficæ; cujus vocis cunabula qværunt in verbo stridere, qvod tali clamore horrendam noctem horribiliorem reddere soleant. Sic etiam Striges illæ mulieres non absqve stridore & ululatu sua concelebrant scelera. Disceptare autem hic nolo, num in rerum naturâ hæ aves reverâ exstent, qvas *Plinius l. 11. nat. histor. cap. 39.* fabulosè fictas adstruit, sed sufficit mihi, qvod Sagæ illæ, qvemadmodum haud vanè existimant qvidam, in hanc invisarum avium formam se convertere satagant, & sic adparenter etiam qveant. De atroce autem facinore accusantur maleficæ illæ, dum non tantùm dormientes conantur suffocare, & infantum sæpe sanguinem ita sugendo exhauriunt, ut aut mortui planè in cunis miselli inveniantur, aut diu superstites esse non possint. Sin accidat fortè, ut supervivant, membro nihilominus aliqvo, si non universo corpore, debiles, & à nefandæ strigis morsu strigosi seu macilenti evadunt. Eò intendit sensu perclarô *Ovid. l. 6. Fastor.*

Carpere dicuntur lactentia viscera rostris,
Et plenum poto sanguine guttur habent.

XI. Tandem etiam à qvibusdam sceleratissimum hoc mysterium Nigromantia, item Ars Atraria, Germ. **die Schwartze Kunst**/ salutatur, tàm ab atro nomine & omine, qvemadmodum & hic color in omni antiqvitate fuit Feralis, optimè sic docente *Nobiliß. Barthio l. 3. adversar. c. 2.* unde & Manium figuræ semper fingebantur atræ, dum

——— Vates
Sub terra nigros sistebant carmine Manes.

Ut

Ut *Severus in Æthna canit*: qvàm ab autore ſuo Atrace qvi eam primus in Theſſalia tradidiſſe & poſteris reliqviſſe ſcribitur, teſte *Beroaldo in Apulej. de aur. Aſin.*

XII. Et hæc de variâ vocum ſignificatione, ex qvarum perfunctoriâ traditione, & qvali qvali dilucidatione cuivis facilè ciarebit, qvid in præſentiarum nobis velim9: & qvanqvã nomina hæc diverſa diverſas ob cauſas maleficis ſint impoſita; attamen hodiè unum pro omnibus, & omnia pro uno & eodem fermè uſurpantur, ita ut his nominibus cunctis ij ſignificentur, qvi ex pacto, ſive tacito ſive expreſſo, ſive implicitè ſive explicitè, cum Diabolo exacto, ejusqve auxilio ea, qvæ planè ſupra naturam ſunt, præſtare adgrediuntur. Dicam paucis: qviſqvis ex his Magis, & qvæcunqve ex his Sagis bonæ hominis valetudini nocere tentat, & jam nocuit, illos ipſos & eas ipſas, earumqve neqvam artes ac effectus, qvatenus, ut dixi jam, concernunt corpus humanum, intellectos & acceptos hic cupimus.

XIII. Rectâ igitur rem ipſam nunc accedimus, ubi ad naturam ejus rectè declarandam & aſſeqvendam neceſſum omninò erit, ut in veram definitionem, qvantum in accidentibus ejusmodi poſſibile, omnibus inqviramus nervis. Parùm autem accuratos aut minùs ſollicitos deprehendimus omnes propemodùm *Medicinæ interpretes* in conficiendâ clarâ legitimâqve hujus rei & propoſiti noſtri definitione: qvapropter nobis incumbet hujus negotii conſpicuam conſtituere deſcriptionem.

XIV. Anteqvam autem & ad hoc officium nos accingamus, anteqvamve propoſitionem, qvid ſit, in medium proferamus, τὸ an ſit præmittere præſtabit; ſcilicet an proſtet hujusmodi Magia, numve dentur talis farinæ INCANTATIONES & VENEFICIA, cujus efficaciâ affectus corporis p. n. etiam produci qveant.

XV. Eſſe Magos Veneficasqve, & ejusmodi Dœmonum famulitiis abundare mundum, absqve ulla prorſus hæſitatione veriſſimum eſt, omniumqve Doctorum authoritas & res ipſa affatim conſentiunt: qvamvis impudenti & abſurdiſsimâ negatione moleſti ſint nonnulli, atqve vel amore vani nominis labefacere veritatem nitantur, de qvibus vide ſis *Bodinum in præfat. de Dæmon.*

Magnô testimoniô sufficienter *Sacro sanctus* succurrit *Codex* & passim præsentissimam maleficorum eorum neqvitiam detestatur contestaturqve, videlicet *Exod. VII, 11. & IIX, 18. Levit. XIX, 31. Deut. XIIX, 10. 1. Sam. XXIIX, 7. Act. IIX, 1. & XXXIII, 1. &c.* Nec dissentit *Ethnicorum* turba, ex qvibus adi *Aristot. de mirac. auditis. Plutarch. l. de invid. & odio, Ciceron. de naturâ Deor. l. 1. Plin. multis in locis nempe 25. hist. nat. c. 9.* & cumprimis *l. 30. c. 2.* & reperies confirmationem ibi plus qvàm firmissimam. Summatim charta deficeret sanè, si autoritates cunctas cunctasqve historias de Veneficis veneficiisqve apponere hîc vel inchoarem; qvâcirco ad intentionis parietes nos adpropinqvamus, & stolidè incredulos, ad genuinam illam magistram remittimus.

XVI. Dari itaqve morbos incantationum mediô productos non dubitandum, & ut fidei testimonia qvoqve adjiciantur, citamus primò alienos, nempe *Pet. Tolosan. JCtum l. 34. Syntag. Jur. universi. cap. 14. Paul. Grilland. de Sortileg. Ponzinib. de Lamiis à num. 63. Bodin. de Dæmon. l. 1. Martin. Delrio l. 1. disqvis. Magicar. & alios*, qvos compendii amore præterimus. Medicorum autem effata hâc in re desiderabis? En habes qvàm plurima *Codronch. de morb. Venef. l. per totum*, nonnulla apud *Roß. Epis. Medicinal. no. 48. 50. & 51. Galenus* qvoqve anicularum incantationes jam olim vim habere credidit, ut refert *Trallian. l. 9 suæ medicinæ*. Habes imò notatu digniora apud *Hucher. l. 4. de sterilitat.* qvi totus circa magiam hanc occupatus, præcipue verò *cap. de morb. dæmon. seu divinis*; porrò *apud Langium l. 1. epist. 38. & l. 2. epist. 34. Gemmam. 2. de divin. characteris. c. 4. Cardan. l. Contradictor. tract. 2. contradict. 7. Rodericum à Castro l. 4. de medico Politico c. 2. & alios*, qvi ex multorum auctorum censu perqvam facundè & docte probant, hisce artibus, certisqve ceremoniis & Diabolicis impostiris morbos induci posse insuperabiles, transmutatis transmissisqve noxiis succis à partibus ignobilioribus ad nobiliores, vel instrumentorum figura vitiatâ, vel immediatè per localem motum, aut illudendo sensibus, aut activa adplicando pasivis.

XVII. Sed talem, qvam formavimus, definitionem hîc adpendimus: INCANTATIO est actio Magica, qvâ permissu Jehovæ Satanas ad postulatum organorum sibi pacto qvodam (sive expres-

expreſſo ſive tacito) mancipatorum, interdum immediatè, plerumqve mediatè, qvanqvam modô putatitiô, mediantibus ſcilicet, nudâ tamen (ſi malam aſſenſionem, intentionem, ac confœderationem exceperis) perſuaſione, tùm utriusqve ſexus Veneficis, tùm inſtrumentis & medicamentis, ut plurimum anilibus planè & futilibus, in malè diſpoſitis ſubjectis horrendos interdum ſi non realiter, tamen apparenter, affectus p. n. creat.

XIIX. Verùm prolixior tortasſis hæc deſcriptio & proinde non ad palatum? conferemus verba & ſenſum maximè ad compendium, & qvidem hoc modô: INCANTATIO eſt actio Magica, qva rebus illicitis & damnatis nuncupatisqve Diabolo votis, corpori humano horrendi & incurabiles ſæpè morbi inferuntur.

XIX. Definitio à nobis propoſita ut magis magisqve eluceſcat, ad examen reducenda, & difficultates contra ipſam hinc inde emergentes averruncandæ, ejusq; fundamenta presſiùs nunc conſiderandæ. Etſi verò ex tot & multivariis diſſentientium auctorum opinionibus veram ſententiam, eamqve cæteris ſincerioris veritatis causâ antehabendam eruere difficillimum ſit, periculum tamen omnibus ingenii conatibus faciundum eſt, ut qvoad fieri poſſit, ſcopum ex ſententia impetremus, vel ab eodem qvàm proximè non declinemus. Sic ratione innixi, experientiâqve ab aliis ſubinde edocti, id eſt, utroqve Medicinæ fulcrô, firmi qvid ſentiamus, brevibus paucis dabimus, & ſedulò cavebimus, ne falſis opinionibus noſtra ſuccreſcat perſuaſio.

XX. Genium definitionis datæ qvis cauſalem ſtatim non cognoſcit? qviſve, dũ proinde, qvæ in reali definitione poſcuntur aliâs, omnia reqviſita hîc obſervari neqveunt, pronô animô non ignoſcit? primò itaqve Deum ut cauſam, ex juſtiſſima adverſus peccatum vindictâ qvidem, ad bonum finem nihilominus permittentem, malumqve Diaboli conatum juxtà frenantem adgnoſcimus. Secundò Sathanam ſub hoc fræno & divino permiſſu, efficientem. Tertiò maleficum vel veneficam interdum impulſivam, nonnunqvam ut adjuvantem, vel qvaſi, admittimus. Qvartò medium ſi qvo Lamiæ, aterqve earum Patronus, in producendis hiſce neqvitiis utuntur, non ut cauſam organicam, eam-

qve efficientem, ſed ut concurrentem ſymbolicam potius, invalidamqve & ridiculam pronunciamus.

XXI. Permiſſione hâc & indultu DEI, varios poſſe hominum corporibus morbos inferre Dœmones, in confeſſo eſt ſatis, cùm aliàs, tùm ex *hiſtoriâ* præſertim *Jobi II, 7. & Evangelicâ Lucæ 11. 12. 13. 16.* de qva in *diſp. de Dæmon.* item *de Magia. Gisbert. Voetius.* Confirmant id qvoqve inter Patres *Tertul. in Apol. adverſ. Gentes c. 22. Auguſtin. lib. de ſpiritu & anima; lib. de Trinitate & divinatione.*

XXII. Verum enim verò nemini & nulli noxiam inferre, aut ultrà torqvere poſſe Dœmones, nîſi DEUS permiſerit, aut qvantum permiſerit, imò nec ſuibus ipſis, *Matth. IIX, 31.* adeò ut etiam capillus ſine voluntate Dei de capite non decidat, magno cum noſtro ſolamine credimus: Et qvamvis interdum Sagæ à Dœmone ſuo poteſtatem petant, ut hominibus morbos vel damna conciliare iis liceat, idqve Diabolus ſe præſtiturum polliceatur & ejus rei conſeqvendæ gratiâ qvædam facere jubeat, tamen ſi DEUS non permittat, planè voti compotes fieri non poſſunt: ſcribitqve *Joan. Bodinus l. 2. c. 8. l. c.* (cujus libri ſeverâ interdictione olim fuerunt prohibiti teſte *Epiphan. Ferdinand. l. 3. Theor. 43.*) vix è centêis binos inveniri, qvibus talia veneficia noceant, ſicuti Sagarum confeſſiones hoc ipſum atteſtatæ fuerint ſæpiſſimè. Rationem petis? Deus concedere noluit. Qvod ſi poſtea hâc de cauſa Sagæ cum Dœmone expoſtulent, ille actutum, ne ejus potentiæ aliqvid defuiſſe videatur, culpam in ipſas transferre, eas objurgare, imò interdum verberibus mulctare miſerrimis modis ſolet, qvòd præceptis ſuis non per omnia ad amuſim & obſeqviosè ſatisfecerint. Neqve etiam Diabolus ipſe à Sagis, qvanqvam inſtigatus, exitium immittere potis eſt iis, qvi Deo ſe precibus qvotidiè commendant, ac devotô pietatis ardore flagrant. Deinde & Judices probi rariſſimè hos inſultus Diaboli patiuntur, niſi illi qvi peſſimarum rerum paſſionibus luxuriant, qvos ſcilicet avaritia excœcat, trahitqve ambitio, qvos crudelitas vel vindictæ amor agit, aut ejusmodi paupertas animi alia occupat: Hi enim crebrò ſic à Dæmone & ejus aſſeclis excipiuntur, & adeò vehementer ſæpiùs, ut neceſſitatem necis incurrant, velut memorat *Ananias l. 4.*

de

de Dæmon. nat. & teſtantur hoc unà *Grilland. de Sortileg. q. 7. n. 39. Remig. l. 1. Dæmonotat. c. 2. Sprengerus p. 1. q. 18. p. 2. q. 1. Niderus c. 4 formic. & c.* Qvin imò Sagæ Judicum animos ita immutare, qvod miratu dignum, poſſunt, ut ad miſericordiam eos inflectere qveant, ſi nempe oculos primæ in eos conjecerint, qvod ipſum exemplis comprobatum eſſe *Bodin. l. 3. c. 4.* fatetur: idqve oſtendit pluribus *Sprengerus p. 3. q. 15.* qvamobrem diligenter curandum docet ut facie averſa ad judices introducantur, ne eosdem prius ſuis maleficæ oculis feriant, qvàm à judicibus conſpiciantur. *Confer. eundem p. 1. q. 1. c. 12.*

XXIII. Cur autem Deus permittat Diabolo, ut ad libitum & qvaſi juſſum veneficarum interdum tàm optimis, qvàm peſſimis hominibus diſpendio ſit, ne falcem in alienam meſſem mittere videamur, Theologorum choro diſqvirendum relinqvimus. Conſulendos tamen hoc in puncto commendamus *Andream ab Haberfeld tract. de peſte ex qvintuplici Ente. Trithem q. 5. l. 8. qvæſt. Nicolaum Iaqverium flagell. faſcin. c. 18. cum ſeqq. Codronch. de morb. Venef. l. 1. Septal. de peſte. Fernel. l. 2. de abditar. rerum cauſ. c. 16. Tertul. & Auguſt. l. c.* Sed qvis Dei judicia novit aut perſcrutari tentabit? nos ea ut ſancta, ut juſtiſſima deveneramur.

XXIV. Solutô hoc nodô, perſpiciendum nobis nunc venit qvâ ratione, & qvibus mediis ac modis tantorum, & qvandoq; inauditorum morborum ſemina in genus humanum ſpargere & malignitatis ſuæ tela infligere valeat Sathanas? Qvî tàm ſubitò & qvaſi oculi momentô corpora adeò diſponere poſſit, ut tantâ celeritate alterentur, corrumpantur inficiantur. Cum autem hâc in qvæſtione decidendâ non idem opinentur omnes, ſed diſcrepent & controverſiarum ſerras paſſim trahant, qvid nobis in hoc capite videatur, verborum compendiô adſtringemus.

XXV. Tenendum verò eſt, Diabolum duplici modô morbida reddere corpora, vel per præſtigias ſive vanas illuſiones, qvæ ſpeciem habent, rem planè non habent; vel per actiones reales ſive cauſas naturales, de qvo ultimo primitùs agam, & de primo poſtmodum.

XXVI. Certiſſimum ergò eſt, Dæmones aliqvando per cauſas naturales intendere ægrimonias mortalibus poſſe. Cum enim

enim Diabolus, tanqvam acutisſimus Phyſicus naturæ mores penitisſimosqve receſſus, & ſingulas rerum cauſas, ſingulasq; omnium vires exacto ſenſu calleat, cùm ſympathiarum antipathiarumqve arcana utiqve non ignoret, & proinde, tanqvam accuratus qvoqve Medicus, qvæ cujusqve hominis valetudini virtutem conſervantem, aut triſte cujusvis deſtructionis medium prębeant, pariter non neſciat; hinc illa penitus occultat atqve omittit; venena verò et cauſas morbificas hominum corporibus & eorundem complexionibus, vel ſecundùm totam ſubſtantiam vel ipſorum partem volatilem & maximè efficacem clàm inferre egregiè novit. Porrò humores pravos in corpore deliteſcentes exagitat, ſuccos bonos corrumpit, in varias hinc indè partes immittit, atqve ſic cachexiam qvaſi non intellectam, & conſtitutionem peſſimæ notæ efficit: Imò violentâ velut manu, DEO connivente, in humani corporis fabrica qvædam pervertit, microcoſmi alioqvin benè conſtitutam Oeconomiam turbat, & ita perperam motis ſpiritibus ac humoribus diras ægritudines exhibet.

XXVII. Neminem, puto, latebit morbos eſſe plures, qvibus mortalitas noſtra infeſtatur, qvam fluctus in pelago, tempeſtas cum ingruit, ut ait ille: conſimiliter nec affectus iſti, qvos per naturales cauſas accerſit atri ſpiritus orci, uniformes exiſtunt, ſed diverſos habent mores, & numerus eorum penè fidem ſuperat. Verum deducamus hoc ipſum per partes. Obſtruat Diabolus Carotides, qvemadmodum ipſi ad hoc negotium non deficient cauſæ: Statim alma cerebri ſubſtantia, & nervorum conjugia blando caloris vitalis influxu privabuntur, qvem defectum debilitatio, relaxatio, refrigerationqve confeſtim excipient. Qvid autem ulterius exinde conſeqvatur, facilè aliqvis, qvi vel primis labris Medicinæ fontem deguſtavit, ſubolfacere poterit. Nempe organo læſo, lædituf functio, ceſſat & qvaſi intermoritur facultas. Ita & hoc in caſu ſenſus tolluntur, tolliturqve motus voluntarii nobilis neceſsitas. Sed vide qvid ulterius moliatur hominum fœdisſimus hoſtis; ut vivo corpori cadaveris defunctiqve ſpeciem concialiare qveat, ſpiritus ſenſitivos ſubfuratur externis ſenſibus; & ad interni ſenſus organa illos detrudit, illosqve inibi veluti carcere incluſos, & obtuſos retinet, atqve

ſic

sic liberiorem & necessarium animalium spirituum suspendit affluxum.

XXVIII. Progredimur ulterius: palàm est, qvàm facilè oculo, ut parti omnium delicatissimæ, malum objici possit. Eò faciliùs præstabit hoc Diabolus, demandando acres humores aut impedimenta alia ad hæc visus organa, adeò ut exinde suboriantur, pro diversa causarum actione & qvalitate, aut fervores, sive dolores vel suffusiones oculorum, donec afflictus prorsus deniq; & bonâ fide evadat cœcus. Pariliter cum auribus est comparatum, qvibus diversas causas admovendo diversos qvoqve affectus usqve ad ipsissimam surditatem inducere potest. Hanc autem sensuum bigam denominamus præ reliqvis, qvia his ipsis præ cæteris est infensissimus Dæmon. Sunt enim visus & auditus inter omnes sensus maximè principales & regii, disciplinisqve sacri, qvippe ad cognoscendum aptisimi & efficaciissimi. Ideoqve ne mirabilia DEI, & qvæ nobis salutifera sunt, neqve oculis usurpare, neqve auribus haurire qveamus, has sensuum portas oppilare satagit per Sagas sagacissimus Anguis.

XXIX. Cumprimis verò ut atro colore & tenebris delectatur ater Spiritus, sic & atro corporis nostri humore seu bile, qvam Melancholiam nominamus, valde lubentet, ceu adpropriato utitur instrumento. Notorium est, qvam tetri & fumosi, qvam crassi & turbidi vapores prodeant ab exuperante plus justò & à naturali statu declinante melancholia qvam per totam qvoqve thesin volumus intellectam. Compertissimum est, qvàm facile degenerare illa possit, & qvam levi occasione exacerbari corrumpiqve. Ajunt, interrogatum Scaligerum, qvid Roma esset, respondisse; acetum pessimum vini optimi. Oportunius, credo, nihil ad genium hujus humoris adplicari poterit: qvid enim melancholia, nisi humor pessimus suci optimi; Cruor pessimus sanguinis optimi. Hic ipse humor est, qvi confundit, qvod sangvis infundit, qvi attinuat, qvod nutriendo ille apponit, qvi destruit, qvod construit ille, qvi inficit, qvod efficit sangvineus liqvor. Qvo copiosior igitur crassioris Melancholiæ uligo, eò effectus qvoq; atrociores exinde propullulant. Nihil sane menti, rationi & judicio magis adversum, qvam Melancholia; nihil adeo invertit evertit-

qve animi ſanitatem, qvàm nigra eventus nigerrimi bilis. Per hanc enim, qvaſi per atram nubem, res adparent & cernuntur atræ, obſcuræ, horridæq; etiamſi in ſe ſint candidæ limpidæ, & ſinceræ. Si itaqve hominem ita diſpoſitum reperiat Satanas, optatius ipſi domicilium nullum poteſt contingere. Hinc ſtatim occaſione illa utitur Diabolus, & in non levidenſes miſerias hominem miſerum præcipitat. Imo humores hos melancholicos non tantum vehementer commovere, ſuisq; ſedibus evulſos præſtantiſſimis viſceribus inſerere, verùm incrementum iis etiam ſuppeditare oppido callet. Et qvid exinde ſperandum? Certè in aprico eſt: Ut enim taceamus triſtiſſima animi pathemata; Nominare lypothymias lubet ſpontaneas, cordis palpitationes, epilepticos & apoplecticos affectus, convulſiones, paralyſes, mentisqve ſolutiones & manias, & qvæ ſunt ejusdem calamitatis affectus alii. In Fœdore Novo apud Qvatergeminos Scribas extant hujus generis morborum exempla non pauca, qvæ ut notiſſima annotare ſupersedemus.

XXX. Philtra jam depromimus, ſed non uſurpanda, verum conſideranda & cavenda. Profectò autem inter veneficiorum genera cuncta, non ultimum ſibi locum poſtulant amatoria hæc pocula, qvæ mulierum ſalacitati gratificandæ ſuggeſſit Diabolus, qvorumve adhuc freqventem uſum commonſtrant obſervationes non raræ. Hoc ipſum autem medium plerumqve ab iis mulieribus tentari jam novimus, qvas nihil planè commendat, & qvæ de conjuge futuro plane deſperant. In genere igitur philtrum cupiditas ardens & deſiderium ſummum adſpectæ pulchritudinis eſt, qvâ potiri plenariè, & ad vota libidinis properare, ut reciproco amati ſubjecti amore frui qveant, vel incantationibus tentant maleficæ. Proprio tamen ſignificatu per philtrum intelligitur id, qvod loco alicui9 certi pharmaci ad inducendum urgentem amoris ſtimulum amaſiis devorandum potandumqve propinatur. Verbi gratia, ſic meretrices & veneficæ qvondam in calice aureo viris offerre philtra ſua conſveverant, qvæ præparabant ex cineribus bufonum, ranarum, ſerpentum, & aliarum rerum immundarum ac abominandarum. Pariter efficaciſſimum philtrum neſcio ex qvo humore, (dicam tamen) qvi ſcilicet menſtruam

ſtruam ſibi excretionem poſtulat, maleficæ illæ parare ſolent: aut viri contra ex ſpermate ſuo. Philtra qvoqve notant interdum herbas qvasdam, qvas mulieres vehementius amare deſiderantes brachiis alligare ſolent, qvalem vim habere dicitur herba Chariſia, teſte *Landino comm. in Horat.* Deniqve per philtra intelliguntur illa etiam veneficia & magici ritus, qvos hac intentione celebrare non intermittunt mulierculârum plures. Diobolaribus autem iſtis fœminis olim conſvetiſſimum erat, cremando nucleos olivarum concupiſcentiæ flammam teſtari, & procorum duritiem mollire: Qva ratione eos ſic incantare ſtudebant, ne diu deſiderare incaſſum deberent, ſed ſtatim allicerent amaſios. Vovebant verò inſimul in hoc cremationis actu, ut hoſpites earum amore ſimilimo modo torrerentur. Demum ſic aduſta & redacta in cineres olivarum oſſa ſpargebant in auras, jacta trans caput. Aliam & conſimilis effectus ceremoniam qværebant in cera, qvam liqvefaciebant, inqve æneo globo, qvem circumagebant; ſic juxta precando murmurantes: ſicut ego hanc ceram, Deo (cupidine) juvante, liqvefacio; ita prę amore ſtatim liqvefiat cordi meo chariſſimus ille; (& nominabant cum nomine ſuo:) atqve ut volvitur æneus hic orbis ope Veneris, ſic ille volvatur ante noſtras fores. Sed ſatis de hiſce impoſturis: Circumſpiciamus tamen qvidnam his verè qveant præſtare.

XXXI. Philtris poſſe Venerem excitari, experientiâ teſte, extra controverſiam eſt; qvoniam adhibentur una ejusmodi medicamenta, qvæ virtute ſemen augendi & acrimoniam flatuſqve inducendi pollent. Verum an amorem certæ cujusdam perſonæ medio naturali aliqvo mulier ſibi qveat conciliare, ut controverſiſſimum eſt, ita profecto adhuc compertum nunqvam. Hinc videmus nil aliud eas proficere hiſce ſuis philtris, qvam ut in ſummam libidinem cum furore conjunctam homines impellant, cujus rei exempla, qvæ noſtro adhuc tempore, & loco non incognita, adſcribere qvam multa poſſemus, ni prolixitatem evitare nobis animo eſſet. Veriſſimum itaqve eſt qvod amandi Magiſter l. 2. de ea arte profert:

Philtra nocent animis vimqve furoris habent.

XXXII. Imo amor certi cujusdam individui ſæpè magi-

cis sacris procurari non potest, sicuti ipsæ id veneficę fuerunt confessæ. Nulli ambigimus tamen, accedente Dæmonis auxilio, hominem alioqvin volentem, & omni libidine impurum hisce illecebris ubiqve illaqveari & peculiari concubitus æstro ac inqvietudine vexari posse. Potest etiam hominibus alias pronis in libidinem tàm assiduè memoriam & imagitionem agitare, repræsentando circumstantias, propter qvas amore dignus videatur, & subtrahendo eas, qvæ indignum redderent, ut tandem in nassam prædæ cadant, qvod ipsum mulierculæ aut maleficæ postmodum viribus earum rerum, qvæ nullas omninò habent, perperam tribuunt. Illud ergò, de qvo dicimus, intelligendum de vehementi persvasione & inclinatione, non de necessitatis absolutæ coactione, aut mentis omnimoda privatione. Vere enim nolendo pleriqve omnes volunt, & vellent qvidem abstinere, sed nolunt carere voluptate. Et qvod majorem inducit admirationem, qvanqvam cruciamenta amoris sæva & intolerabilia sint, eis tamen amator liberari non desiderat, illosqve pro acerrimis habet inimicis, qvi, ut fugiant hanc infamiam, salutare consilium sufficiunt, adeo nesciunt recusare hoc venenum, neqve ulla corporis servitus subest qvæ voluntatem liberam non habeat, nisi solus amor, indissolubili modo voluntates nostras alligans atq; devinciens: Unde illud Medeæ:

Video meliora, probaqve,
Deteriora seqvor.

XXXIII. Cæterum, amantes mente sic privari semper à Diabolo, ut aliqvibus placet, non existimo; Qvod liqvet ex variis illis & mirabilibus technis dolisqve, qvibus sæpiùs illicitos amores exercent, qvos miro ingenio & arte occultare solent, & egregiè dexterrimeqve omnia administrare sciunt, qvibus animum amatæ in sui amorem vicissim commoveant, adeò ut omnia & singula eorum instituta actionesqve, amantium non amentium revera dici qveant.

XXXIV. Imprimis vero in turbando conjugali affectu promptissimus est Diabolus, non tantum ut sobolis propagationem impediat, humani generis hostis; verum etiam ut adulteriis occasionem præbeat,

XXXV. Variis itaqve modis Dæmones efficiunt, ne conjuges mutuo sibi conjugale præstent officium, & qvidem principaliter vatinianum, qvod dicitur, odium inter illos excitando, cujus rei egregiam historiam refert. *Bapt. Codronchius lib. 3. cap. 6.* Qvæ adponi hic utiqve meretur: In oppido Sepino, inqvit, ditionis Neapolitanæ, fuit vir qvidam, cujus uxor ita eum odio habuit, ut à primo statim matrimonii die, simul esse conjugaliter nunqvam potuerint; Et si qvando ad uxorem accedere vir tentavit, tanta rabie percita statim ea fuit, ut se per fenestram potius præcipitem dare, qvam illum pati vellet. Qvod cum cuidam religioso relatum esset, mulierem hanc statim de odii causa contra conjugem interrogavit, qvæ suam vicem priùs, miserumq; fatum deplorans respondit: se nullam ejus rei rationem reddere posse: qvin absentis mariti tanto potius desiderio & amore se flagrare, ut id verbis exprimere vix posset. Statim autem cum ad illum alloqvendum accedere velit, illico imaginationi suæ tot deformitatibus & turpitudinibus, totqve horribilibus monstris maritum tanqvam extremam sui pernitiem apparere, ut mortem prius subire se velle, qvam illum ferre asseveraret: Rursus eo absente ejusdem desiderio æstuare asserebat. Hujus rei periculum facturus Sacerdos, præcepit mulieribus eam comitantibus, ut illam circum pedes & brachia super lectum valido fune vincirent, qvo maritus omni repugnantiâ remotâ expeditum accessum ad eam habere posset; verebatur enim ille Sacerdos, ne ob deformitatem aliqvam celandam, mulier se ita affectam simularet. Uxor deniqve ob mariti desiderium se ligandam tradidit, rogans ut ad se maritum nunc admitterent, qvo ingrediente, nullæ unqvam furiæ tam immanes visæ sunt, nullæ feræ ita efferatæ, qvæ cum ea possent conferri, spumam ex ore emittebat, dentibus fremebat, oculos contorqvebat, totum corpus velut furiis exagitatum ac Dæmonibus plenum videbatur: mulieres ibi assidentes retulerunt, ventrem ejus ac stomachum funibus contortis refertum fuisse visum, totamqve cutim, ut flagris cæsam, apparuisse. Nec furoris finis factus est prius, qvam maritus concertationis labore lassus & illius misericordiâ tactus illinc exiit. Qvis non protinus credit hanc antipathiam à Diabolo prodiisse? Qvis non percipit statim Dæmonem in promptu phantasiam alicujus lædere, & ex tem-

pore maniam inducere posse? Sed hac in parte ista historia sit velut instar omnium, qvarum alias qvam plurimæ pasim prostant.

XXXVI. Altera causa est, qvando Dæmon memoriam ita obtundit (vocatur alias oblivionis maleficium) ut viri uxores suas negligant penitùs, & earum plane non meminisse videantur; Exempla videri possunt apud *Codronchium l. c. Cæsalpinum c. 10. de Dæmonum investigation.*

XXXVII. Tertiò: si Dæmon phantasticum aliqvod corpus inter conjuges interjicit, ne tuto qveant mutuo appropinqvare: Cujus rei mirandam historiam *ex Vincentio Belluacensi l. 26. hist.* cùm alii notant, *tùm Martinus Del Rio disq. magicar. l. 3. par. 1. qvæst. 4. sect. 8.* refert: Vel si corpora mutuo amplexu conjuncta cohærere faciat, ut divelli vix ac ne vix possint. Unde congrediendi horror suboritur posteà inter conjuges, qvemadmodum in urbe Carentina apud Rugianos id factum memorat *Saxo Grammatic. l. 14. histor. Dan.* Vel si genitalia prorsus ablata videntur, veluti juveni cuidam Ravenspurgi, & alteri contigit Spiræ. (*Sprengerus lib. allegat. par. 2. cap. 7.* Nec non seni Bassumpetrano, narrante *Remigio lib. 2. cap. 5.* Et similia notante *Codronchio l. c.* qvæ tamen omnia præstigiæ meræ sunt.

XXXIIX. Qvartò: si transitus spirituum vitalium prohibeatur ad officinam generationis: Ita enim confectio seminis, inducta hac spermaticarum partium frigiditate, non tantum impeditur; verum etiam externa genitalia tanqvam mille mortibus frigida, ut cum *Arbitro* loqvar, evadunt & contumaciter langvent.

XXXIX. Qvintò: qvando Sagæ in Nuptiis ligant Viros, ut flaccidis naturalibus cum uxoribus suis rem penitus habere non qveant, qvod maleficium vocatur respectivum: Patientes verò, DEVOTATI DEFIXI. Tum aliis verò fœminis qvam alacriter esse qveant, si liceat. Taliter legimus Theodoricum Gothorum Regem fuisse affectum, qvi cum pellicibus Venerem exercere benè poterat, cùm conjuge suâ neutiqvam, teste *Æmilio in vita Clotharii.* Et hoc Veneficii genus Ligaturam, veneficos verò die Binder oder Nestelknupffer adpellitant. Imò qvibusdam impotentia cœundi plenaria cum qvacunqve muliere incantationibus

concili-

conciliatur. Ligandi modos qvod ſpectat, ultra 50. *Bodinus* numerat *lib. 2. cap. 1.* Verum opportuna commoditate hic qværitur, an mares perpetua ejusmodi ligatura à præſtigiatricibus affligi qveant? Negant id nonnulli, & affirmant contra non pauci. Nos affirmativam, qvem autores communiter tuentur, tanqvam haud abſonam apprehendimus, & proinde cum *Abbate Navarro toſtato, Lombardo, Thoma, Durando, Paludano, & aliis apud Henriqvez lib. 2. de matronimon. c. 8.* facimus. Cum enim ad tempus, divino permiſſu, ligare Satanas poſſit, cur non eodem modô in perpetuum.

XL. Sexto: Nec fæminino ſexui parcit veneficarum furor. Dum vel coalitu & claſura matricem reddunt otioſam & inutilem, qvo vitio laborantes imperforatæ dicuntur, juxta *Philoſophum 4. generat. animal. c. 4. & Avicenn. fen. 21. l. 3. c. 4. tract. 4. c. 1.* vel uterum planè abolent, id qvodaliàs etiam absqve periculo vitæ haud ſupra naturam fieri poteſt, teſtibus *Paul. 3. cap. 72. & cap. 88. & Ætio lib. 16. cap. 76.* In caſu qvippe neceſſitatis & conſummati ſphaceli præſentiâ, ſuperſtite fæmina, non ſemel exciſum fuit hoc membrum, qvâ de re inter autores reliqvos conſule *Franciſc. Rouſſetum de partu Cæſar. tom. 2. Gynæc. cap. 5.* Vel utero intemperiem & incommoda alia accelerant: Si enim indiſpoſitus tam ad concipeindum, qvàm fovendum ſemen reddatur à Sagis, tunc æqvè aſſeqvuntur beſtiæ illæ qvod volunt, nempe ſterilitatem inducunt, & prolis propagationem impediunt.

XLI. His præſuppoſitis, an Diabolus qvoqve abortum poſſit procurare facile judicium qvivis non ferre non poteſt. Scilicet nullum dubium eſt, qvin & hoc præſtare qveat, ſi poſſit illud, ut poteſt. *Remigius & DelRio* hujus caſus exempla qvamplurima annotarunt, qvod nempe non tantum freqventiſſime abortus & pariendi difficultates, ſed & lactis exſiccationem effecerint veneficæ, atqve beneficia alia, generationis negotio dicata ac neceſſaria ſuſtulerint, ad qvos autores curioſum lectorē brevitatis ſtudio remiſſum volumus. Unicum ex *Apulejo lib. 1. de Aſin.* notatu haud indignum hic adſcribimus, qvod Meroes anus vi ſua in arte Magica, jam in ſarcina prægnationis, obſepto utero & repigrato fœtu perpetua prægnatione qvandam fœminam crudeliter damnaverit.

XLII.

XLII. Qvid Dæmon præterea in excruciandis hominum corporibus, & eorum prospera valitudine patrare valeat, sufficienter significant illa, qvæ sæpiusculè visceribus nostris ingerit: veluti sunt carbones, ligna, testæ, acus, vitrorum fragmenta, cultri, ferramenta, clavi, crines conglobati, & vermiculorum insolita caterva, à *Fallopio* præsertim, & *aliis* in tumoribus observata: Addo & *Sennertum l. 1. part. 1. prax. c. 2. & lib. 2. instit. part 3. sect. 1. cap. 11. Schenckium lib. 3. obs. 73. & seqq. Forestum in schol. ad observ. 26. lib. 18. Mart. DelRio lib. 3. qvæst. 4 s. 5. & 6. Groſsium par. 1. Magic. p. 116. & 127. Gemmam lib. 2. Cosmocriticæ cap. 4. Remigius lib. 3. cap. 1.* scribit, suis se oculis vidisse globum, qvalis videre in textrinis datur, qvi ex vomica incisa in cujusdam sura exemptus fuit, & *Wierus cap. 13. l.* sæpe *c.* dicit, ex vomica aliqvando in sinistro hypochondrio supra regionem lienis cultrum ferreum in qvadam puella cum magna puris copia, fuisse exceptum. Ejusdem monetæ exemptum pariter concernere est apud *Langium l. 1. epist. 38.*

XLIII. Hæc ipsa tamen non protinus veneficiis sunt tribuenda: Experientia enim claret, pluribus in corporis humani partibus ex humoribus sic dispositis & excrementitiis lapillos, tophos, aut his non dissimilia, ac varia vermium genera procreari atqve produci. Refert *Zacut. lib. 2 prax. obs. 33.* exempla, qvod per umbilicum manifestò exitu prodierint vermes. Et *Schneckius lib. 3. obs. pag. 551.* narrat, vermes in vesica genitos sex digitorum longitudinem æqvantes fuisse repertos. Multa ergò ex humorum pravitate & pravâ colluvie posse congenerari, omnino nos credimus, & hac in parte adstipulamur autoribus tam priscis qvam neotericis, qvi concordi testimonio veritatem rei fulciunt: Inter hos autem sunt *Galen. lib. 2. ad glaucon. Celsus lib. 5. cap. 6. Ætius lib. 16. cap. 100. Lemnius lib. 3. de occultis nat. mirac. cap. 40. Alexand. Benedict. lib. 2. & 3. Anat. Anton. Beniven. de admir. rer. caus. cap. 3. 18. 24. 94.* Imo Consultationes & Observationes Medicas evolventi exempla occurrent innumera.

XLIV. Certò nunc stare talo, homines variis modis incantari à diabolicis veneficis posse, confidimus; & sic confidentes videbimus jam, an revera ejusmodi materiæ sive sint naturales sive artificiales in corpus ingerantur, qvæ tali modo egeruntur & è corpore aufferuntur postea.

XLV.

XLV. Difficilis deciſionis hæc qvæſtio eſt, qvum modus à ſenſibus noſtris planè remotus ſit, rectéqve *Rodericus à caſtro lib. 4. cap. 1. de offic. med. politic.* hinc ſentit, dicens: qvid hâc de re potiſſimum ſit ſentiendum, DEUS ipſe novit, qvi omnia, qvæ fiunt novitqve & videt. Diabolus enim eſt μυριοτέχνοις, malarum artium nefarius & mille artifex, qvi multa permiſſu DEI præſtare poteſt, qvæ hominibus ſunt & videntur impoſsibilia; imò & ſolet, cum ſit perennis humani generis inimicus. Negat autem *Wierus* conſtantiſsimè *lib. 4. cap. 2. & 14. de Lamiis cap. 7.* & non absqve eruditione atqve ſine argumentorum valore probat ſuam ſententiam, qvæ circiter talis eſt: qvicqvid ſit, & qvicqvid in oculos incurrat, tamen præſtigiæ & illuſiones ſunt Dæmonum, qvæ enim rejici vel extrahi è corpore videntur, in illo fuerunt nunqvam, ſed Diaboli ſubtili velocitate & veloci imperceptibiliqve ſubtilitate ori injecta vel extra admota hominum oculis citiſsima celeritate victis, vel faſcino deluſis, vel interjectu corporis cujusdam aërei, aut alio modo caligantibus.

XLVI. Alii aliter exiſtimant rurſus, & res qvasdam bona veritate corporibus inſinuari à Dæmone, atq; inde vel rejici poſtmodum vel extrahi ſeverè ſtatuunt. Ad probandam autem opinionem hancce adducunt Medicos jugiter ac Chirurgos, videlicet *Trallian. lib. 4. cap. 6. Beniven. cap. 24. & 80. & Langium Epiſt. 38.* qvi ſub eodem clypeo hanc defendunt ſententiam. Inqviritur itaqve non injuria, qvibus modis & qva via res tam abſurdæ & deglutitu impoſsibiles in corporis penetralia intima immittantur? Scilicet putant dictæ ſententiæ patroni, commodiſsimè hoc fieri poſſe in ſomno vehementiori, qvi virtute & efficacia Narcoticorum vel ad triduum non procurari neqvit. Sic Turcæ caſtrandos Narcoticis ſuis potiunculis ita ſoporant, ut nec ſectionis inuſtionisqve dolores perſentiſcant (*Bodin. lib. 2. c. 5.*) Alii opinantur materiam corpori inferendam Diabolum in minutiſsimas partes disjungere & ingeſtam rurſus compingere poſſe: Qvod ipſum non ignoratur in chymicorum laboratoriis, ubi uniones, corallia, ungulæ, metalla & mineralia qvævis in magiſteriorum, ſolutionum ac tincturarum præparatione in minima & atomis fermè ſubtiliora diſſolvuntur. Qvomodo autem ex maximis minima & ex minimis iterum maxima confieri poſsint,

explanatut à *Davide Gorlæo in exerc. philoſ.* & præſertim in Chimicorum ſcholis, non rationibus tantum, ſed reapſe etiam, & ad oculum pulcherrimè demonſtratur.

XLVII. Porrò qvid præſtigiis ſuis præſtigiatores utriusqve ſexus valeant, diſpiciamus. & qvinam morbi ulterius corpori poſſint accidere, notemus. Senſus noſtros qvam ſtupendo modo pervertant, vide & mirare. *Camerarius centur. 1. cap. 70.* egregium ejus rei exemplum nobis ſuppeditat de Fauſto, notiſſimo illo Cudlingenſibus Mago, qvi precibus ſodalitii ebrii, vitem racemis plenam ut repræſentaret, victus, ludibriis ſuis oculos temulentorum hominum ita perſtrinxit, ut ipſis tot uvæ magnitudinis miræ & ſuci plenæ, qvot ipſorum adeſſent, in pulcherrima vite apparerent, ſerio tamen prohibens ne qvis ullam uvam decerperet, donec juberet. Rei itaqve novitate capti, & ex crapula ſitibundi, aſſumtis ſuis cultellis avidè expectârunt vocem uvas reſcindere jubentis, tandem cum illos in errore aliqvandiu detinuiſſet ſuſpenſos Fauſtus, ſubitò in fumum & vanum abeunte vite cum ſuis uvis, conſpecti ſunt ſinguli uvæ loco tenentes, qvam unusqvisq; videbatur apprehendiſſe, ſuum naſum, appoſito ſuperne cultello, ita ut ſi qvis immemor dati præcepti uvas ſecare voluiſſet, ſeipſum mutilâſſet naſo. *DelRio* refert *lib. 1. c. 4.* de Mago qvopiam, qvi bis terve in chartis luſoriis figuras commutare poterat. Sic ſanè viſum tactumq; Magica fraude pervertunt.

XLIIX. Non ſatis eſt Diabolicæ cohorti hominem, aliàs humoribus ſcatere peſſimis, & excrementis abundare qvàm plurimis, tanqvam morborum in proclivi cauſis. Hinc *Ariſtot.* ſcitè fertur reſpondiſſe qværenti qvid homo ſit ? Nil aliud qvam pituita & bilis. Hâc, inqvam, calamitate noſtrâ non contenti illi rapaces lupi, inauditis rebus debile corpus inſuper aggravare, & ad interitum ſuum præcipitare ſatagunt. De puella qvadam nonum agente annum *Henricus ab Heer. obſerv. medicar. rar. l. O. 8.* hujus faciei hiſtoriam obſervavit, qvam ex veneficio vomitu ejeciſſe multas plumas, ſtraminis faſciculos, pollice craſſiores transverſis confixos aciculis, ligulas ex filo contextas, coloribus variis diſtinctas, qvaternionem deniq; acicularum cæruleæ chartæ infixarum, ſicut vulgo profitentur, integerrimum & jam jam empto ſimillimum dicit. Hæc cum vidiſſet Medicus jam allegatus ea omnia

omnia Diaboli præstigiis, adstantium coronam illudentis, adscripsit, & res illas aliunde petitas esse, saltimqve ê primis puellæ labiis prodire, à Dœmone inviſibiliter oblatas asseveravit: Cujus verba audiens puella, hisce excepit: dubitare noli: revera enim hæc omnia ex imo mihi ducuntur ventre; qvo dicto, confestim manum ipsius apprehensam suis admovit faucibus, inqviens: senties aciculam hic sine capite ascendentem, breviq; exituram; tum Medicus mox arctisimis siniſtræ manus digitis aciculam in gutture deprehendit, & eam cum tenere se crederet, vi qvadam eripi sibi percepit, qvam tamen puella misella mox exspuerit, & ipse demum dextra manu acceperit. Additqve pariter autor prædictus, eodem modo aliàs sæpius in ipso adhuc ventriculi orificio ligularum principium tetigisse, illisqve ascendentibus & per os exituris, omnes, qvos ea cura tangebat, in mediis faucibus ligularum finem comprehensum tenere se putantes, cacodæmon decepit & conatus omnes irritos fecit.

XLIX. Admirandam pariter hiſtoriam à *Gregorio Horſtio lib. 1. epiſt. medic. ſ. 7.* annotatam huc adducere non piget, ut eò melius clarescat hactenus dictorum veritas: scilicet illustrisimi sui Principis Consiliarius qvidam ipsi retulit, qvomodo fratri suo, cum ex incantationis veneficio ophtalmia laboraret gravisimâ, qvotidie magna scoparum minutim inciſarum copia per oculos exiverit, qvemadmodum etiam scopæ purgandis ædibus destinatæ vix emptæ statim fuerunt amissæ & penitus evanuerunt. Qvis jam credat tantam scoparum, qvamvis minutim conciſæ illæ, copiam corpori potuisse à venefico qvodam aut ipso Diabolorum Diabolo ita inseri, ut eæ per oculos cum lacrymis egrederentur rursus.

Qvi monſtra credunt omnia
Credant & hoc Apellæ.

Verum persvademus nobis potius & pro extra ullum dubium verisimo habemus, res hasce per præstigias & imposturas extra præ oculis fuisse saltim ostensas & admotas.

L. Tot ergò modis torqvere nos Dæmones possunt, velut ob oculos posuimus hactenus. Qværendum ergò nunc venit; Qvo pacto Diaboli præstent has præstigias, num assistendo corpo-

ri, an verò in corpus ingrediendo? Insinuata qvandoq; Dæmonia, atqve inde per Salvatorem excussa, lux & veritas Evangelii expressè comprobat, an verò per substantiam dicantur Dæmones ingressi, an propter effectum, qvem miris circumstantiis sistunt, indicante sic S Evangelio, statim non constat. Qvoniam tamen puteum fodere juxta fluvium valde ineptum, aut superflua excogitare non decet, ubi rationi magis consentanea subsunt; idcirco sufficere ad excruciandos homines statuimus, ut nostro corpori saltim assistat Dæmon, veluti nauta navi, & secundum operationem inhæreat, non verò substantialiter in corpora ingrediatur. Uti vult *Lactantius lib. 2. de origine erroris cap. 14. & 15.* Unde *Beda*, exponens illud, cur tentavit Sathanas cor tuum: Implet, inqvit, Satanas cor alicujus, non qvidem illud ingressus, sed fraudulenta deceptione in malitiæ affectum, animam trahens. Idem & alii Patres. Qvo sensu & corporibus obesse Diabolum pronâ fide credimus.

LI. Dedimus, ni fallor, satis probatum, justo semper, sed occulto divinæ permissionis judicio Diabolum, non tantum causis naturalibus, nempe activa applicando passivis, sed etiam præstigiis & impostoris diversissimis veneficas ac vehementes affectiones hominum corporibus inducere. Conseqvens suo nunc ordine est, ut videamus paulisper, qvid veneficæ ipsæ in se consideratæ suo arbitrio hoc in passu præstare satagant, ac possint.

LII. Qvod ergò Lamiæ & Sagæ libero arbitrio concurrant ad hominum læsionem & morborum inductionem, luce meridiana clarius est, & ex eo satis superqve detegitur, qvod instrumentis veneficii remotis, vel ipsis Sagis decineratis ac mortuis, ægri convalescant; qvâ de re insignis historiarum materies scribentibus suppeditatur. Sic Duffi cessavit morbus, postqvam imagines abolitæ & veneficæ merito supplicio consumtæ sunt. (*Boet. l. 11.*) Item Sagæ cum jam incarceratæ, non amplius nocere valent, nec pulueres & unguenta earum, qvibus veneficii sui noxas disseminare laborant, sine ullo damno ab hominibus tractari contrectariqve possunt, teste cum experientia *Sennerto c. l. cap. 5. 6.* Itaqve falsam Wieri opinionem non admittimus, qvi obtinere conatus est, omnia & singula, qvæ à Sagis peragi dicuntur, esse dumtaxat phan-

phantasmata & meras larvas, Diabolo sic earum phantasiis illudente, sicut rectè contra illum & erudite disputârunt *Erast. & Bodin. all. loc*

LIII. Neqve tamen protinus existimandum inculcamus, ac si Lamiæ & Sagæ ipsæ immediate operationum talium causæ sint; verum asserimus Diabolum effectus hujus autorem, Sagas vero συνέργους saltem, aut potius impellentes causas existere, utpote, ad qvarum voluntatem & preces, Diabolus, DEO permittente, tales morbos hominibus infligit; aut, qvi à natura & naturalibus causis ortum suum habent, eos suæ ope utiqve sic induci, iis persvadet. Ideoqve ut veneficium appelletur, necessarium semper est, ut Dæmon & Saga concurrant. Ubi enim Dæmon solus, precibus & pacto Sagarum non instigatus, hominem affligit, id qvod *Jobo* accidit, tunc proprie actio Magica appellitanda non est; tum autem veneficum vere dicitur, cum Diabolus in gratiam veneficæ, & ejus precibus vel pacto invitatus, homini nocet & morbi atrocitatem affert. Hæc *Sennertus lib. 6. part. 9 prax. cap. 5.*

LIV. Media, si aliqvibus Lamiæ, earumqve horridus pater in producendis his neqvitiis utuntur, sunt res planè nullius momenti, qvas edere tales effectus per se non posse, qvivis sanæ mentis homo facile animadvertet. Qvanqvam enim media vel Res, & ex iis e. g. naturales, utpote sunt, pulveres cibo potuive insperſi, vel affricati nudo corpori, vel in vestes diffusi adhibeant, tamen nisi Magica qvoqve auxilia, cantusqve & imprecationes diræ accedant, nihil unqvam adgredi tentant. Ut autem sua illa pharmaca & pulveres qveant exactius cognoscere, neve qvid pro qvo, qvod dicitur accipiendo decipiantur, coloribus eos discernunt, & atro tinctos habent, qvi lethiferi sunt; ruffos aut cineritios, qvibus inferre morbos intendunt, & deniqve albos, qvi eos tollendi vim habent. Utuntur qvoqve interdum nigris ungentis & subruffis, in qvibus emicant metalli micæ, & simul luteæ nigricantesqve guttæ, qvas si in ignem projicias, trucem horribilemqve sonitum edunt. Hoc ipso dicunt maleficas continuo manus illitas habere, ne qva nocendi elabatur occasio. Usurpant etiam festucas & herbas humi projectas, qvæ calcantibus, qvibus tamen maleficia prius destinârit, sunt necis certissima causa (*vid. Remigi-*

um lib. 2. cap. 7. seq. DelRi. lib. 3. par. 1. q. 4. s. 5. Grosum p. 1. Magic. p. 133.) Componunt autem unguenta & pulveres diversos diversis ex rebus, juxta diversitatem malorum, qvæ moliri tentant: nonnunqvam enim soporem inducere, aliis conciliare amorem, excitare in aliis odium, interdum morbos & necem inferre volunt: Unde qvædam etiam maleficia dicuntur somnifica, amatoria qvædam, & qvædam hostilia.

LV. Neqve inficias imus intentioni Sagarum ejusmodi succurrere medicamina, qvæ talem vim habent, verbi causa, vel phreneticos, vel maniacos lupisqve similes efficiendi. Opportune hic nobis obviam itur adposita observatione, à *Sanctor. comment. in prim. Fen. qvæst. 104. & Martino Weinrichio de monstris cap. 15.* notatâ, qvâ puellam, hausto felis sangvine, felis naturam ex intervallo induisse perhibent, & qvod id animal agere in ædibus aliàs solet, id illam imitatam voce, saltu, gestu, in silentio mures venenando. &c.

LVI. Mediis seu rebus naturalibus surrogant artificiales, velut sunt sigilla, corollæ, annuli, armillæ, catenulæ, amuleta, claves, clavi, acus, imagines, amygdalæ literis consignatæ, saccharoqve conditæ, aut hostiæ insignitæ, aut campanulæ & ejusmodi apinæ aliæ. Recurrunt qvoqve ad ipsas rerum notas, qvales sunt verba, dicta aut scripta, characteres, picturæ, hieroglyphica &c. Qvid? qvod vel ipsi Sacerdotes in Pontificatu, hoc in negotio etiam non otiari dicantur, dum vestem lugubrem induendo missas defunctorum celebrant pro viventibus causa inimicitiæ, ut is, pro qvo hoc sacrificium offertur, certa morte moriatur. Ne qvis Pontificiorum nostro huic relato succenseat, qvum suo id potius debeant *Prospero Farinacio JCto Romano qvi hoc ipsum lib. 1. tit. 3. q. 20. d. delict. & pœn.* notavit & acriter juxta reprehendit. Sic & obstetrices, ex traditione anili, indumentum illud pueri nascentis qvod appellant virginem pelliculam, item sal, corallia, panem & alia, una cum infante, Ecclesiæ Christi jam insinuando, fasciis involvunt, eum in finem ut simul cum ipso res illæ baptizentur, qvibus postea se miranda efficere posse impiâ credulitate sibi blandiuntur, cùm meræ sint Diaboli impostura & operæ: Cujusmodi exemplum noviter ante aliqvod scilicet hebdomadas Lipsia non ignorat,

ignorat, ubi hoc ipsum ab obstetrice qvadam non absqve manifestâ superstitione factum, pio tamen zelo id animadvertente Sacerdote & puniente Magistratu.

LVII. Vana hæc omnia & frustanea, nec nisi symbola pacti inter Diabolum & maleficos homunciones contracti esse, cuivis nunc cognoscere promtum. Sagæ suis artibus ne minimum morbum inferre possunt, nisi abhibeantur causæ illæ manifestæ & naturales, qvas informatore Diabolo pernoscere discunt, & actore illo admovere callent. Ipse scilicet Dæmon (verba sunt *Scaligeri exerc. 349.*) agit, qvod stultus ille ac vecors (Magus) suis verbis se agere putat. Ita qvoqve cum artificialibus rebus comparatum, qvas maledicendo omnium maledictissimus efficaces reddit, & sic adplicare execratos pulveres, liqvoresqve Magica manu, qvam & ipse non removet, spargere jubet. Hac tamen opera id, qvod intendunt Magi, non semper efficiunt, cum materia maleficii plerumqve non tangat hominem ipsum, cujus causa maleficium hoc instituitur, qvare nil facere hæc poterunt, cum ad qvamcunqve actionem reqviratur contactus: nisi illum insensibiliter Diabolus ipse procuret. Imò eò sectatores suos cæcitatis perduxit Diabolus, ut, si sponte jam huic vel illi homini morbum instare, signis cuiqve bono Medico notis, videat, vel jam alibi ægrotantem sciat qvempiam, subito veneficas præparare pharmaca & sic Magico ritu illius hominis causa, ut ægerrimus evadat dispergere præcipiat. Qvo facto, effectum & hominis istius morbum suorum sacrorum potentiæ cum triumpho statim tribuunt. Sed non incommode dices hic, qvi veniat qvod venenum à Mago alicubi depositum non ipsum potius qvam alium corripiat? An, qvia diversa sit constitutio corporum aliis ad contagium proclivioribus atqve aliis: an præmoneat Dæmon, ut caute cum pharmaco procedat & caveat: An alexipharmacum suis confœderatis porrigat. Probabilia sunt hæc omnia. (*vid. Remig. lib. 2. c. 8.*) Et hactenus de præcipuis occultæ hujus rei causis, ad qvas reliqvæ, si qvæ omissæ, operâ non difficili reduci qveunt.

LIIX. Differentias ordo nunc tangit, qvibus inhærere longius, ne crambem videamur bis coqvere, institutum nostrum non est: Pleræqve enim in propositis jam thesibus sunt deductæ, pleræqve

ræqve explanatæ. Nihilominus ut adhuc reſarciamus, qvod fortſan omiſſum, illud ſubſignare non negligemus, paucisſimisqve qvid morbi ab incantationibus producti diſcrepent à faſcinatione, explicabimus. A faſce autem vel faſcia fortasſis dicta eſt faſcinatio, qvæ faſcinus vel faſcinum etiam nominatur, qvod ligat ſcilicet & faſciet, qvem læſit. Notat tamen veretrum qvoqve juxta *Horat. Epod. 8.* & propterea hoc nomine videtur inſignitum, *Scaligero* docente, qvod depellere faſcinationes crederetur, qvâ fini figuram hanc turpiculam pro amuleto pueris ſuspendebant priſci. Nec deſunt qvi à fando velint derivatam hanc vocem, cum & oratione faſcinatio fieri ſoleat. Aliqvibus dicitur à verbo græco βασκάινειν, qvod invidere ſignificat: Unde laudantibus ſolennis hæc formula: Præfiſcini dixerim, id eſt, abſit invidia dicto, zu gutem Glücke oder zur guter Stunde geredet, aut qvando infantium faciunt mentionem, religionem putant niſi addant: Gott geſegene es. Definitur proinde faſcinatio qvod ſit paſſio oculis illata & conceptaex qvadam affectione animi maligna ejus, qvi intuetur. Et hæc vulgaris de faſcinatione opinio eſt: Qvam tamen dari negant permulti. Aliqvando etiam faſcinationem ſumunt pro contagio, ita, ut hac ratione qvi laborat ophtalmia, obvium qvempiam inficere hoc affectu qvaſi ex faſcino poſſit: Item peſte, tabe & elephantiaſi affecti hos ipſos morbos propagare qveant; qvacirco cum ejusmodi hominibus aut menſam aut lectum habere communem plane non tutum ſed periculoſisſimum eſſe, aſſeritur.

LIX. Subjungere placet dictis hiſce decantatisſimam qvæſtionem: Num ſolo intuitu nocere morbumve inferre poſſint vetulæ? Sic putant & pronunciant ſententia communi, malignos faſcinatores faſcinum & virus geſtare in oculis, hisqve vibrare illud in adſtantes, præſertim in ætatem parvulam & infantes, ſeu eos qvi firmo veſtigio figere gradum adhuc neqveunt: unde poſtea fiat, ut illi cibum faſtidire ſtatim incipiant & conficiantur tabe; Ita qvidem ajunt; Sed qvomodo hæc effaſcinatio fiat non adeo plane explanant. Qvi itaqve inter cæteros ſenſu clariori decidere ſententiam adgrediuntur, viſionem hanc infectivam perſonæ alicujus nocivæ, latenter dicunt per radium viſualem nocumentum rei viſæ inferri, & hâc ratione adſpectu ſolo

mali-

malitiosas vetulas tenollos inficere infantes : Et ita qvidem loqvitur Virgilius:

Nescio qvis teneros oculis mihi fascinat agnos.

Dicunt autem Philosophorum antiqvi, animam per imaginationem pessimam facilè immutare oculum posse, qvippe qvod membrum sit tenerrimum ac perqvam spirituale: Oculum igitur sic infectum immutare aërem proximè ambientem, aëremqve infectum tenerum immutare corpus infantis: Inde & verbum βασκαίνειν arbitrantur dictum ἀπὸ τὸ φάεσι καίνειν, qvod fascinantis oculis & per oculos noceant. Nos huic autorum decisioni addere calculum possumus, sed in qvantum, qvatenus scilicet in hoc negocio fascinationis non feriatur Diabolus, sed juxta oculis maleficarum assistit, & venenatis atomis aërem inqvinat. Nec errant hîc pariter, qvi adjungunt adspectui immundissimum oris halitum, qvem emittunt malefic æ, & tenellis infantium corporibus contagiosè immittunt. Deniq; puerorum pusillanimitas & pavor accedit, cujus ratione à truculento adspectu facilê potest inferri morbus. Nam qvi vetulam pertimescit, dum pessimè compositum vultum & diabolum qvasi ipsum pupillam incolentem intueretur, vel sua sibi imaginatione & exinconcepto horrore malum conflat. Neqve enim leves sunt commotiones spirituum & humorum, qvæ intensâ imaginatione excitantur. Sæpe qvi cibum fastidiosum ab alio comestum videt, etiamsi olfactu & gustu non attingat, sola imaginatione tùm ad vomendum adigitur. Pueri baculo percussi sævoqve vultu à vetula territi in morbum ocyssimè incidunt, qvi vulgo tamen effascinati creduntur. Hinc & intellectu jam non difficilè evadet qvod *Plinius lib. 7. N. A. c. 2. Gellius l. 9. N. A. c. 4. de Tribalis & Illyriis* qvibusdam, diutius intuendo effascinentibus tradiderunt. In iis autem naturam peculiarem abdidisse diritatem fertur, dum oculum geminis cognobilem pupillis habuerunt, & exinde majorem consternationem & metum adspicienti impresserunt, eumqve oppresserunt.

LX. Incantationem igitur à Fascinatione causa efficiente forma & mediis evidenter differre cuivis facilè claresçet ex præmonitis. Dari autem fascinationem naturalem, historiis passim,

& rationibus haud insolidis uberrimè confirmatur à *Fracastor. lib. de sympath. & antipath. Vallesi. l. 4. cont. c. ult. & in lib. de sacra Philosophia in com. c. 68. Hucher. l. 4. de sterilit. c. 1. Mercurial. l. 1. de morb. pueror. c. 3.* qvi ex mente *Varronis* id confirmat *Valleriol. l. 2. observ. 4. & 7.* Eruditissimisqve argumentis probatur ab *Antonio Carthaginensi lib. de fascinat. Thomâ à Veiga l. 1. de diff feb. c. 4. Paulo Zacchi. l. 2. qvæst. medico-legal. tract. 2. qvæst. 6.* Contrarium autem defendunt *Fernelius lib. 2. de abdit. cap. 16. Christophorus à Veiga lib. 2. de arte medendi sec. 6. cap. ult. Santorellus lib. 2. antiprax. cap. 14. Fortunatus Plempius lib. de Ophthalmographia problem. 7.* qvorum rationes velut in fasciculum collectas proponunt, *Rodericus à Castro lib. de medic polit. c. 1. de fascin. Sennertus l. 6. Prax. part. 10. cap. 1.* & contrarias ex aliorum mente persolvunt. Qvæ opinatio tamen Philosophis adversatur penè omnibus: nam fascinationis naturalis auctores præter citatos habemus insuper qvoq; *Arist. 20. sec. probl. 34. Alexand. 2. l prob. 54. Albert. Magnum lib. 22 de animal. c. 5.* & præ reliqvis locupletissimè hâc de re agentes *Alfonsum Tostatum paradox. lib. par. 4. Celium Rhod. in antiqvit. lect.* plurimis in locis, præsertim l. 20. c. 15. Si tamen adversæ factionis solutiones legere concupiscis, accerse *Marsil. Fic. in com. convivii Paton. orat. 7. c. 41.* Apud prænominatos autem hosce autores discrepantia vocabulorum annotatorum accuratissimè extat, qvam ibi qværendam hic qvoq; relinqvimus.

LXI. Sed ad curationem, seu scopum, qvem Medicus sibi semper habere debet prefixum, nos jam convertimus: Eum autem cum vix optato contingere effectu possimus, nisi prius debitis notis pernoscamus morbi præsentiam, ideoq; & nunc adjicere operæ pretium erit, qvibus indiciis morbi à veneficiis oriundi se cognoscendos præbeant. Inter hæc ergò diagnostica primum se sistunt contemplanda. Difficillimæ autem hi sunt cognitionis, (*Jo. Baptista Silvaticus, de iis qvi morbum simulant deprehendendis*) cùm Diabolus naturalibus causis sese sæpius immisceat, iisq; adeo utatur, ut non facile sit discernere, qvid à causis naturalibus, qvid ab ipso dæmone profectum sit. Exempli causa si Epilepsia facta à Dæmone, non habeat manifestè aliqvid diversum ab ea, qvæ absqve dæmonis insultu ortum alioqvin habet, vix licet reperiri indicia, qvæ Dæmonis concursum exactius indicant, nisi qvod vehemen-

tior

tior & horribilior hic sit paroxismus. Qvicqvid tamen sit, experiundum nihilominus, qvousq; pertingere liceat. Probabiliter autem hoc ipsum colligi posse, sequentia significabunt.

LXII. Morbum igitur à veneficiis esse illatum; tum suspicandum, si qvæ Magi minæ præcesserint: si qvod idolum in domo & lecto decumbentis sit inventum: Conjecturam suppeditat tertiò morbi natura, nam inter veneficos morbos freqventiores, & qvi occurrunt ut plurimum, sunt melancholia, epilepsia, sterilitas, inappetentia, stomachi, dorsi, capitis, lumborũq; dolores, iisq; inconstantes & vario nulloq; ordine incertoq; temporis spatio insultantes. Potest qvartò id conjici ex pertinaciâ morbi, siq; urgeat citra causam manifestam, nec possit adhibitis contrariis tolli remediis, tum subitâ suspicione colligendum maximè est, præter causam naturalem aliqvam subesse, qvæ morbo continuitatis subministret fomentum.

LXIII. Certissima autem morborum â veneficiis illatorum signa existimant esse, si vel acus crinales, vitri frusta, capilli plurimi, ossium fragmenta, vel alia, qvæ in corpore humano generari nunqvam possunt, vomitu vel per alvum ejiciantur, vel ex ulceribus & vomicis erumpant aut extrahantur vel scopę minutim incisæ per oculos egrediantur. *Vel* si qvæ futura sunt, præsagiant ægrotantes, qvæq; distantissimis locis pridem recensve gesta sunt, aut etiamnum geruntur ad ungvem enarrare audiantur: Si sacrosanctum Dei & Jesu Christi nomen, piorumq; hominum præsentiam & preces exhorrescant, execrationibus prosequantur. Si deniq; vocem articulatam & prorsus intelligibilem emittunt, *vel* ex imo ventre, ore clauso (*Ludovicus Cœlius Rhodignus lib. 8. lect. antiqvarum cap. 10.*) *vel* per pudibundas partes (*D. Chrysostomus.*)

LXIV. Porrò Mulierculæ qvædam tentant id dignoscere plumbo eliqvato & in aqvam non sine verborum qvorundam obmurmuratione effuso, qvâ ratione putant effusum plumbum in figuram malefici conglobari. Collo qvoq; alligant hyacinthum rubentem & corallia, qvæ si impallescant, nitoremq; amittant, conjiciunt morbum esse ab incantatione productum. Et annulum digito immittunt ex asini ungula, qvi si latior fiat post aliqvot dies, veneficio affectum esse imputandum asseverant. Tentant aliæ id noscere ablutione verbenæ: nempe decoqvunt

illam, ejusqve decoctione langventem abluunt: in ablutione, si nihil reperiant, nullo teneri maleficio langventem dicunt; sin autem vel decocti color ab ablutione immutetur, aut magna copia pilorum, ac præcipuè suorum inveniatur, efficax est argumentum veneficii, ejusqve gravissimi. At anilia hæc vetulatum deliramenta sunt, qvæ etiamsi veritatis aliqvid habere interdum deprehendantur, tamen non adprobanda, non adhibenda, qvum manifestissimâ non careant superstitione: neqve probo, dum qvidam, aliqvo rationis indumento vanitatem, qvam committunt in plumbo, commendent, nescio qvam vim à Saturno impressam plumbo affingunt. (*Vide Sennertum l. 6. pract. p. 9. c. 6. Sprenger, p. 2. q. 1. c. 12.*) Scio demum *Jo. Baptist. Codron. l. 3. de morb. venef. c. 13.* multa alia signa tradere horum morborum, sed cum vel illa reduci possint ad ea, qvæ à nobis jam posita, vel planè sint contemnenda, nihil de iis amplius addo.

LXV. Qvâ prognostica, bonum vel malum eventum notantia, sciendum, morbos omnes ab incantione natos curabiles non esse, sed DEO permittente, à Diabolo corporis humani constitutionem ita sæpe vitiari & destrui posse, ut nullâ humanâ ope in pristinum statum naturaliter reduci possit. Verbi gratiâ: sic in oculo humorum situm penitus pervertit, in aure tympanum rumpit, in aliis membris alia irrecuperabili damno corrumpit; Hinc morbi illi tamdiu durant, donec demum naturæ debitum exsolvatur.

LXVI. Plenis velis remisqve nunc tendimus ad CURATIONEM ipsam, in qva verissimum, si ullibi, deprehendo, qvod *Galenus lib. 2. de nat. facultat. cap. 8.* dixit: imminentem morbum melius præcaveri, qvàm factum jam curari. Ut ut tamen se res habeat, jam diro hoc affectu ægrotans absqve mediorum medicorumqve solatio non deserendus erit. Sicuti autem suprà jam diximus, morbos à Diabolo aut suis confœderatis infligi permissu DEI; ita etiam ante omnia Dei auxilium seriis precibus implorandum, isqve adorandus venit, ut opera Diaboli destruat, ejusqve potentiæ almâ suâ potentiâ resistat. Sic enim DEUS nobiscum, nec Diabolus, nec ejus organa qvicqvam incantando nocere poterunt. Major enim est Omnipotentis Jehovæ erga fideles

deles protegendos voluntas, qvàm totiûs regni Satanici hominibus infenſiſſimi poteſtas.

LXVII. Eſt porrò & aliud remediorum genus, ritu Eccleſiaſtico & Pontificiis decretis uſurpari ſolitum, vocaturq; Exorciſmus, qvando ſcilicet in nomine Chriſti dæmonum expulſiones promoventur. Verùm cùm de eo pluribus hic diſqvirere meæ profeſſionis non ſit, manum de hâc tabula præſtabit removere. Teſtari tamen poſſum hiſce oculis meis me Tremoniæ Weſtphalorum vidiſſe homines oppidò liberatos ab obſeſſione beneficio hujus exorciſmi. Multis negotii hujus efficaciam adſtruunt *Beyerling. voc. Malefic. p. 207.* & *Delrio, l. 6. c. 2.* Contra verò *Lercheimeirus d. Zaub. c. 16. 8. Prætor. de Zaub. c. 9. Gædelman. l. 1. c. 6. Wierus l. 5.* aliiq; diſputant.

LXIIX. Divinorum qvoqve nominum vi, & poteſtate omnes morbos ſanari poſſe probant *Martinus Delrio lib. 2. mag. diſq. q. 8.* qvo de argumento legantur ea qvæ ex omnium auctorum decreto eleganter conſcripſit *Levin. Lemni. in exhortat. ad vitam optimam inſtituendam, cap. 59.* de divini nominis majeſtate, & potentia divinorum nominum, qvibus Deus concelebratur in ſacris litteris, varietate, ſignificatione, amplitudine, efficacia, qva una magicis & diabolicis ſuperſtitionibus reſiſtere licet. Imò & homines illos, qvos vocamus ſalutatores, per hanc gratiam à ſummo Deo illis conceſſam morbos curare poſſe ſtatuit. Huc ſpectat eorum qvoqve ſententia, qvi Reges Galliæ, & Angliæ hâc ipſa virtute ſtrumas curare aſſeverant, qvod non fide annalium modò, verum etiam aliorum teſtimoniis certum eſt, ut retulere *Guido tract. 2. doct. 2. c. 5. Chirurg. Magn. Mercurial. l. 1. de morb. pueror. 5. Tagaultius lib. 1. inſt. Chirurg. & Andreas Laurentius lib. de ſtrumar. ſanat. adminandâ.* Teſtatur qvoqve *Joan. Weckerus de ſecretis lib. 2. c. 5.* dari ejusmodi homines, qvibus ex ſingulari gratia conceſſum divinitùs, morbos curare. Cur verò potiùs Reges qvam alii hoc dono beentur, citati Autores varias cauſas aſſignant. Certum autem eſt, multa miracula (rectius impoſturæ adpellitandæ) verbis præſtari vulgò: dolores enim dentium per hæc verba ſedant: Os non comminuetis ex illo. Sangvinis fluxum ſiſtunt per illam pendentis in cruce Chriſti valedictionem:

Consummatum est. Et plurima hujus generis alia se valere gloriantur. Qvam autem vim habeant verba, *infra*, pluribus patefiet. Hîc notandum breviter: Non licere ita fædè verbo Dei abuti: qvod non ob id nobis cœlitùs datum, ut ejus pronuntiatione, appensione, scriptione Dæmones fugemus: sed ut ex ejus lectione, auditione, meditatione, discamus qvæ DEI clementissima voluntas erga nos sit, qvidq; à nobis ille vicissim postulet. Qvi ergò his & aliis præterea usibus verbum DEI adhibent, in Deum velut calcitrantes impia laxant ora. Verbis igitur divinis, qvatenus verba sunt, nullam supernaturalem, nedum Physicam operandi vim ineſſe statuimus & credimus.

LXIX. Seqvitur, ut ostendam, qvo pacto Magicæ curationes illæ absolvantur, & an media illa, qvibus id præstare se opinantur, verè hoc præstent? Sunt autem media illa, figuræ, verba, magorum ceremoniæ & ritus, annuli, imaguncula; herbæ certa cœli facie cum superstitione lectæ, imaginationes veneficarum & ejusmodi gerræ diabolicæ aliæ.

LXX. Verba autem qvibus utuntur ad hujus operis perfectionem, vel aliqvid significant, vel nihil planè denotant, eaq; vel tacitè demurmurant, vel clarâ voce pronunciant, vel pani aut butyro imprimunt & cum cibo assumunt, vel collo appendunt. En exempla qvædam superstitiosæ hujus curationis, qvæ apponere hic suadet occasio data. Seqventium autem carminum recitatione ter repetita & auribus insusurratâ epilepsiam arbitrantur curari efficacissimè:

Caspar fert myrrham, thus Melchior, Balthasar aurum.
Hæc tria qvi secum portarit munera regum,
Solvitur à morbo Christi pietate caduco.

Formulis qvoqve seqventibus, ter recitatis, hęmorrhagia qvælibet cohiberi creditur:

Sangvis mane inte, sicuti Christus fecit in se:
Sangvis mane in tuâ venâ, sicuti Christus in suâ pœnâ:
Sangvis mane fixus, sicuti Christus fuit crucifixus.

Dentium dolorem restingvi ajunt, si ridiculum hoc scriptum à collo suspendant: Strigiles falcesqve dentatę, dentium dolorem personate. Febrem finiri somniant apprehensa laborantis manu,

reci-

recitatisq; his verbis; æqvè facilis tibi hæc fit febris, atqve Mariæ Virgini Christi partus. Vel hoc vocabulum, Abracadabra chartæ inscriptum à collo ut suspendat æger, præcipiunt. De horum multivariis formulis vide *Savanorolam in fine suæ praxeos de febribus. Hucherium lib. 4. de sterilitate. Johann. Freitagium, Noct. Medic. sive de abusu Medicinæ.*

LXXI. Horresco alia referre, qvæ sine blasphemia nominis divini non tantum non possunt usurpari, sed ut omninò arbitror, nec sine impietatis notâ commemorari, veritus etiam, ne horum recensione ansam præbeam temerariis & nasutis sciolis eadem in usum vocandi. Barbara qvin etiam usurpant vocabula ad abigendos morbos, qvæ adeò lectu & auditu monstrosa, ut sine dubio in schola Sathanæ dictata & exinde usurpari cœpta sint. Ad morbum canis rabidi commendant verba: Hax, Pax, Max, Deus Adimax, qvæ pani vel particulæ pomi inscribenda & exhibenda ut comedantur postulant. Contra epilepsiam annulum applicant intus hoc modo notatnm. † habi † haber hebr. † †. Plura non annotabo, qvod pertimescam sine scandalo ea vix posse dici vel scribi. Magnus eorundem consignatur cumulus ab auctoribus, præcipuè *Wiero, Grillando, Binsfeldio & in mallo maleficorum.* Incidunt jam verba qvoqve illa, cum literis incumberem in Gymnasio Tremonienſi, sæpiùs exaudita mihi; ara, fara, forsa, cruca, tuka, morsa: qvæ acclamare solebant pueri prodeuntibus in plateas vetulis suspectis; qvæ si Lamię essent, non poterant (uti vulgus ibidem arbitrabatur) qvin insolenter & cum stomacho responderent, inq; ogganientes pueros inveherentur.

LXXII. Afferam adhuc unicam memoratu dignam & veram historiam huc qvadrantem, qvam *Zacut. Lusitanus de praxi medica mirabili lib. 3. obser. 139.* observavit, hisqve circiter verbis notavit: Puellam annum agentem ætatis decimum sextum, ex nobili prosapiâ oriundam, formâ non vulgari præditam juvenis qvidam speciosus ita miserè deperibat, ut illius amore irretitus noctes plures, veluti amens, insomnis duceret: at cùm illum ea, velut ex infimo loco natum, temneret & irrideret, indigna-

gnabundus Sagarum consilio de ea magicis artibus vindictam sumere curavit, Qvare absentis puellæ imaginem cerâ confictam verbis prolati sortilegi compungunt, qvibus recitatis insons sævis doloribus in toto corpore excitatis est afflicta, iisq; ita infandis immisericorditer vexata, ut aculeis transfigi videretur. Qvibus lenitis remanebat aphona, & convulsione mirabili arrepta, qvâ pedibus antrorsum pectus contingebat, cum oculis torvis, nigricante facie, pinnis narium inversis, lingvæ tremore, lipothymia, omnimoda virium jactura, fastidio summo. His triduo perseverantibus, convocantur Medici, qvi postqvàm ultrò citroqve de causa morbi disceptàrunt, in eam unanimes convenerunt sententiam, ut crederent, hæc horrenda vitia ab utero, unde aura venefica ad partes superas efferetur, scaturire, qvi similem tragœdiam aliàs excitare aptus natus sit. Qvapropter præsidia plurima adaptant in hunc usum. Sed cùm iis applicitis illa delira, furibunda, omni convulsionis specie premeretur inanimiter, à Medicis tanqvam spiritu malo apprehensa, aut veneficio vexata, deseritur. Hoc ita esse confirmavit postea enormis vomitus, cujus violentiâ nigerrimam materiam primò, postea glomeratos crines, tribulorum fasciculum, acus æneas, tandem oviformem massam, atro colore conspurcatam rejecit, qvâ dissectâ erupere plures volantes formicæ, qvæ adeo horrendum fœdorem ex se exspirarunt, ut nullis in domo permânere potuerit. Visis his omnibus patuit, cuncta hæc ex veneficio esse suborta. At cum in agone esset syncope expressa, per vomitum laboriosissimè excrevit animal pugni forma, colore atrum, caudâ oblongâ, toto corpore pilosum, muris instar; qvod postqvam in terram elapsum est, eximiâ pedum agilitate, per domum obrepit & emoritur. Parentes rei novitate & periculo filiæ commoti consulunt ariolos, sagas, sortilegos, magos & incantatores. Ex iis unus se eam sanaturum proposità multâ mercede constanter pollicetur, modò adventante paroxysmo vocaretur. Sic factum. Accessione enim ferociter iterum invalescente convocatur ille, qvi super caput ægræ prius abrasum, me præsente, imposuit papyraceam chartam altissimam in qva scriptæ erant literæ bonæ: T.M.

& im-

& impoſita erat ungula aſini ſemicombuſta, & ille neſcio qvæ verba ad aurem obmurmurans, eam ab inſultu & omni ſymptomate impoſterum liberavit. Hactenus ille.

LXXIII. Verum verba hæc, vim aut efficaciam perſanandi morbos non habent, qvam concluſionem probant inter cœteros exactiſſimè. *Picus Mirandula libel. prop. de Magia. Benedict. Veronens lib. 7. cap. 25. de veneficiis, Amat. 6 centur. 86. Symphorian. Campeg. in annotament. contra Conciliator. Tarraga qvæſt. 36. in lit. P. Gentil. qvæſt. 55. extravag. Joan Brav. Chamicus lib. 3. de vulner. curat. cap. 5.* Patet hoc qvoqve evidenter. Nam verba ſunt naturales rerum imagines, & nihil aliud ipſa præter hominum placitum important. Deinde verba aut ſcripta ſunt aut ore prolata; illa ſunt qvid mortuum, & omnis energiæ expers, qvoniam nil aliud ſunt, qvam meræ qvalitates, qvacirco & eorum efficacia nulla; hæc autem vim tantum habent contactum aêrem feriendi, ut & animalium, reliqvorumqve inanimatorum ſoni: ſed ſonus factum non magis valet immutare, qvam color auditum, qvoniam non ſunt ſenſuum iſtorum objecta. Qvare cum ad ſanationem neceſſarium ſit tactum immutari, fateri oportet, ſanationi morborum ſolam verborum prolationem nihil conferre. Qvapropter ſi verbis ſimpliciter prolatis morbos incurabiles videris perſanatos, Cacodæmonis ritu fieri hoc certum eſt. Lege fuſius hæc tractantes *Caſparum Peucerum lib. de incantat. in princip. Eraſtum part. prima diſp. de Medicina nova Paracelſi pag. 169. Toletanum lib. peculiari de ſuperſtitionibus. Annæum Robert. Jurisperitum inſignem lib. 1. rerum judicatar. cap. 5. Benedict. Perer. l. 1. de magia. Thomam à Veiga in com. 86. art medic. Gal Joan. Hucher. lib 4. de malefic.*

LXXIV. Idem judicium de annulis, conjurationibus, characteribus, figuris, carminibus, ſonis, cantibus, numeris, &c. eſto. Qvid enim ſola figura vel charcter &c. virium poterit ad profligandos morbos obtinere, niſi alia & potentior accedat cauſa? *Omnis certe actio naturalis eſt ex contrariis ejusdem generis; qvare nec numeri, characteres &c. in morbos qvicqvam agent. Omnis profecto facultas agendi à ſubſtantia aut qvalitatum temperie provenit, at qvænam characterum, ſonorum, &c. ſubſtantia, qvæve temperies?* Deliria, nugæ, præſtigiæ.

LXXV. Constat igitur figurarum &c. vim agendi nullam esse physicam: sed totam (si qvæ fortasse est) diabolicam esse existimandam: nisi ejusmodi res divinis oraculis sit præscripta. Non sine re *Sennertus lib. 5. prax part. 4. cap. 24.* ait: *Is Deum honorat, qvi Dei opera, qvalia ab ipso condita sunt, contemplatur, admiratur & celebrat. In Deum vero injurius est, & impius, qvi rebus vires, qvas nec à Deo, nec ab arte acceperunt, tribuit.*

LXXVI. Restat nobis adhuc exiguus qvidam scrupulus, qvi non minùs impietatis & superstitionis magicæ arguit, dum herbas certis ritibus, ceremoniisve aut recitatis peculiaribus verbis, sive non intellectis, & barbaris, sive ex cardine sacrarum literarum desumptis, vel cum adjuratione, & consecratione magis usitata, aut peculiari, aliaqve, qvam vulgo physici docent, cæli constitutione, evellere studeant; & ea qvidem intentione, ut hoc modo majores supra naturam acqvirant vires, & usurpatæ stupenda operentur. Hic vides, multa sese offerre sathanica deliria. Persvasit qvoqve hactenus suis mancipiis, certis horis & temporibus, qvibus peculiares præsint spiritus, certas herbas legendas & colligendas cum præsidum istorum cultu; sic enim fore ajunt, ut majores stupendasqve magis consequantur virtutes. Carmina autem illa qvæ admurmurant sub collectione, frustra aut impiè recitari planum est. Nam si ad herbas dirigantur, vanus est labor, cum non audiant, nec intelligant. Si ad Deum dirigantur, sciendum, à Deo aliqvid petentes opus non habere certis verbis aut certi temporis observatione. Neqve etiam debemus à Deo flagitare, ut miracula per nos edat, aut rebus naturalibus vires majores qvam in principio ipsis indere placuit, infundat. Non autem mens mea est rejicere collectionem nativorum *vel* secundum ætatem & turgescentiam rerum, *vel* secundum constitutionem cæli universalem *vel* secundum influentias particulares. De qva re, vide *Pharmacopœiam Medico-Chymicam Johannis Schröderi lib. 1. cap. 23. 24. &c.*

LXXVII. Cæterum morbi, qvi magicis artibus sunt immissi, nec omnes, nec semper se sanare posse ultro fatentur ipsæmet Magæ *Bodinus lib. 3. cap. 2.* Qvi autem sponte accesserunt morbi, si à Sagis sanentur, non est hoc Sagarum proprium, sed cum multis

multis aliis commune. Etsi autem ad pristinum statum reduciat Saga homines incantatos, non proinde certa & tuta, sed fallax, captiosa & periculosa sanatio est; qvia, qvamvis Dæmon qvosdam integre sanare posset, tamen hoc beneficium in hominem, qvem perpetua consectatur invidiâ, conferre non vult, & si qvando id faciat, fit dumtaxat, ut perversas hominum mentes irretiat penitius, sibiqve in fidelitate retineat, & eos sibi emancipet.

LXXIIX. Qværit proinde Diabolus suis palliativis curationibus, qvæ mille dolis & periculis intertextæ sunt, proprium lucrum; si enim sanet paulisper corpus, derepente exulcerat, & si possit, enecat & trucidat animam. *Bodinus* refert *lib. 3. cap. 2.* fuisse qvendam, qvi in morbo ejusmodi hyperphysico accersi curaverit Magum, ut sanaretur. Hunc respondisse, se non posse ægrum sanitati restituere, nisi morbum derivaverit in filiolum ejusdem: qvod cum audivisset nutrix, cum puero illa aufugit, & patre ægrotante percurato, Magus à Diabolo postea interfectus fuit, qvod morbum curarit, & non in aliam personam transtulerit, uti pollicitus fuerat. Perspicuum ergo est è sentibus non colligi uvas, & hunc, qvi natura hostis, & totius substantiæ proprietate infensissimus inimicus & antiphilus, nihil veri & boni in nos conferre auxilii, sed si qvid repræsentet, id esse tantum apparens, fallax, fraudulentum, animæ noxium, & inferni hamun. Qvis enim homo ab homine, qvem inimicum suum cognovit, auxilium petat aut illi confidat?

Sic nobis notus Ulysses
Virtus anne dolus, qvis in hoste requirat?

LXXX. Sunt eqvidem qvi affirmant, licere maleficia propter bonum finem demum implorare. Qvocirca nonnulli judices jubent maleficas à læsis noxas benedictione qvadam avertere, forsitan adducti *leg. Cod. de malef. t. 18.* qva admittit Imperator eos, qvi carminibus ad hominum salutem spectantia procurant; Verum Constantinus Imperator fide Christiana vere imbutus, hanc legem sustulit, & Leo Imperator in Novellis emendavit prorsusqve antiqvavit. *Theophrastus* qvoqve *Paracelsus in lib. de occult. Philosophia.* item *de morbo caduco* docet nos impune & sine ulcere, rimaqve conscientiæ posse morbos vi Diaboli à confædera-

tis inflictos eorundem accersita opera profligare, parumqve referre Deus vel Diabolus, angeli vel immundi spiritus ægro opem ferant, & ab illo ad opitulandum reqvirantur, modo morbus persanetur. At hi pessimi sunt dictatores. Non enim facienda sunt mala ut hinc eveniant bona: Sacrisqve literis id manifestissime repugnat, Lev. 19. severo edicto vetat. (*Vide Hier. Reusnerum l. d. scorbut. exerc. 1.*) Non immerito itaqve summopere abhorremus ista remedia sortilega, etiamsi fiant ad effectum recuperandæ sanitatis, cum non liceat invocare auxilium Dæmonis, etiam pro mille corporum sanitatibus, qvia minus detrimentum est, dum pereunt mille corpora, qvam ut pereat una anima, ut recte monet *B. August. lib. 1. de civit. Dei. Thom. in summ. 2, 2. distinct. 95. art. 3.*

LXXXI. Devolvimur jam ad curationem NATURALEM. Cum morbos vi Magica inflictos non raro etiam naturalibus cedere remediis experientia testetur, cumprimis si piæ, ardentesqve preces verâ fiducia profusæ præmittantur, & omnia decenter fiant. *Baptista Codronchius de morbis venefic. lib. 4. cap. 2.* esse difficillimum qvidem judicat, aliqvid certi hac de re statuere; cum enim alii affirment, remediis naturalibus tales morbos curari posse, alii negent, & pro utraqve sententia rationes extent, qvasi anxium me facit seligendi optio.

LXXXII. Missis tamen opinionibus aliorum putamus per experientiam & analogismum inventa esse remedia, & remediorum materias, qvæ debellare & evincere vim hancce maleficiam valent. Ast determinare illas, hoc opus, hic labor, qvi multos Medicorum mire fatigavit & non parce sudorem excussit: unde adhuc nullus ferme invenitur Medicorum, qvi absqve manus tremore incantato auxilium præscribat, aut non hæsitantibus qvasi labris præcipiat. Qvicqvid sit, interim tamen qvod Medicorum est, non negligendum, neqve accusandus Medicus, si eventus exspectationi non respondeat, modo ille eorum, qvæ in naturæ & artis potestate sunt, ad medendum, nihil omiserit, ut recte pronunciavit *Sennertus instit. Medic. lib. 1. cap. 1.* Monstrosa enim qvandoqve accidunt in morbis, & salvantur ægri sæpius sine spe mirabiliter. (videatur *Ibern Sina lib. 4. fen. 4. tract. 2. c. 10.*) Non tamen

men mens protinus noſtra eſt, agere medicamenta in Dæmonem, tanqvam in intellectum & ſubſtantiam ſeparatam.

LXXXIII. Rejicimus ergo ſententiam eorum, qvi ſtatuunt Dæmonas ſubjici rebus naturalibus. Qvalia non tantum apud *Plinium lib. 21. cap. 16. & lib. 32. cap. 1.* Sed etiam apud Theologos aliosqve autores Pontificios, *Burgenſem in 1. Sam. 16. Mengum in flagello Dæmonum, Exorcismo 3. 4. 5. 6. Serrarium in Tobiæ cap. 6. & 8. Grillandum de ſortilegiis qvæſt. 3. n. 23. Delrio lib. 2 qvæſt. 32. ſect. 3. & l. 6. cap. 2. Cardanum de varietate rerum lib. 16. cap. 93. Pomponatium de incantamentis p. 242. Rhodiginum lib. 2. cap. 28. Lambertum Hortenſium commentar. in Virgil. Æneid. 5. Albert. M. lib. de virtutibus Lapidum &c. Bartholo. Fayum in Energumenico &c.* invenire eſt.

LXXXIV. Opponimus autem iis omnibus rationes hasce. 1. Qvod Dæmones ſint incorporei; (*Thomas prim p. q. 51. art. 1. idem q. 117. art. 5.*) ergo nullo etiam modo poſſunt pati aut cogi à re corporea aut naturali, ſive ſit ſubſtantia ſive accidens, ſive actio ſive paſſio ut recedant & ceſſent. Res enim incorporeæ omnimodo corporeas ſuperant. 2. Qvod non ſint capaces voluptatis aut doloris ſenſitivi; deſtituuntur qvippe ſenſibus & organis ſenſuum, qvorum obiecta ſunt res ſenſibiles, qvæ voluptatem aut dolorem afferunt. Naturaliter ergò à rebus corporeis affici aut pati non poſſunt.

LXXXV. Non autem negamus Deum rebus creatis poſſe vires indere adverſus Dæmones, ut colligere eſt ex *lib. Tobiæ cap. 2. v. 8.* ubi Angelus remedio efficaciam peculiarem adjicit, & fumi illius vim adverſus Dæmonem ita detigit deſcribitqve, qvo naturales omnium rerum vires contra morbos, deſcribi ſolent. Cordis, ait, ejus particulam ſi ſuper carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus Dæmoniorum, ſive in viro ſive in muliere. Qvis Dioſcorides, Plinius aut Matthiolus inſitam cujuspiam herbæ vim aliter & circumſtantiis aliis enunciet? Hic enim res naturalis recenſetur, cordis particula: præparatio item naturalis: ſi ſuper carbones ponatur. Verbum deinde, qvod agendi vim importat, additur, *extricat*, id eſt, expellendi & Dæmonii nodum diſſolvendi vi præditum eſt. Neqve *cap. 6. v. 7. Tobias* niſi de naturali harum rerum vi, rogat, cum ait, qvod remedium habebunt,

ista qvæ de pisce servare jussisti ? Cui Raphael clarissimis verbis rem explicat, commate IIX. Si vexet aliqvem, ait, dæmonium vel malus spiritus, oportet hæc (Cor & hepar) suffumigare coram homine vel fæmina & non vexabitur amplius.

LXXXVI. Porrò ex morbis dictis, illi, qvi sunt Physici & materiales, physicis qvoqve remediis curantur, videlicet iis, qvæ noxiam humorum materiam detrahunt, & viscerum intemperiem demoliuntur, qvos effectus ex pharmacia & congruenti diæta petere & expectare licet. Pharmacia autem peragitur evacuantibus & alterantibus; medicinisqve aliis miro modo & occulta nobis qvalitate operantibus.

LXXXVII. Inter evacuantia offerunt se primo vomitoria, qvorum egregios effectus hoc in casu maximis extollunt laudibus qvamplurimi autores; Et his juxta freqventissimo suffragio ipsa succurrit experientia. Prodest autem hoc medicaminis genus qvam maxime, si contingat, ut materia conatu assiduo sursū moveatur, & natura brevi, ut sic dicam, manu, citoqve se exonerare ita gestiat. Hinc Medicus, qvi naturæ fidus minister, eam debito succursu adjuvare tenetur : Hoc enim medio materia corrupta, qvæ adhuc in primis detinetur viis, malignitatis virus insigniter fovens, mirando effectu desideratoqve successu confertim & confestim, cito tutoqve rejicitur, adeo ut ægrotus, si non plenariam statimà morbo liberationem, insigne tamen exinde levamentum persentiscere qveat, & non incertum convalescentię gradum nanciscatur. Attestatur *Freitagius loc. citato*, qvod acus, capillorum manipulos, ramenta lignorum, carbones, & alia longe absurdiora remedii purgantis exhibitione è corpore humano per vomitum exturbarit: Item è puella qvadā binis vicibus qvatuordecim cochleas & vermes admodum plures coloris varii, itidem & osficula multa consumti alicujus animalculi eduxerit. Allegatus idem auctor in Præfecto qvodam pagano notavit animalculum ex flavo nigricans, duosqve sub collo pedes habens, longitudine cubitum, & duos digitos crassitie exæqvans, oculis grandioribus, & capite serpentino, assumto medicamine adeo exagitasse & pene confecisse ægrotum duodecim circiter horis, ut sibimet ipsi damnatas manus pene injecisset, donec demum violenta totius corporis con-

concussione per vomitum illud rejecisset. Commendatur itaqve speciatim in hoc casu Tartarus Emeticus *Hadriani Mynsichti in Armamentario Medico Chymico pag. 13.* Si qvis enim ab immensis rebus per incantationes, utpote pilis, clavis, aciculis, panniculis, aliisqve id genus prodigiosis in vitæ periculo versetur, Tartarum Emeticum miros effectus præstare, inqvit. Antimonii flores, *Grunlingius* in usu habuit admodum familiariter. Qvidam ex Genistæ floribus sive recentibus sive arefactis iis in vehiculo convenienti præparant, eoq; parissimè concitant vomitum; hoc enim ex hausto potu, acus & enormia alia patientes evomuisse, *Forestus lib. 17. obs. 26. in schol.* scribit: *Petrus Johan. Faber Medicus consummatæ experientiæ, Curat. 9.* salem vitrioli in aqva salviæ dissolutum collaudat, à cujus usurpatione, cum honestæ matronæ cuidam aliqvando dedisset, nigra multa cum sabulo atro tandemq; ranam vivam, sqvamosam, serpentem qvoq; sqvamosum parvulum, & crocoditum talem digiti magnitudine & longitudine palmæ oretenus rejecisse, dicit. Peculiariter tamen prænominatus *Freitagius in Aurora Medica libr. 2. cap. 46.* decem vel duodecim grana seminis cataputiæ majoris (alioqvin granum Regium Mesuę dictum) à putaminibus liberati in ovo sorbili devorata celebrat, utpote qvæ potenter cient vomitum & cum vomitu veneficia expellunt feliciss imè.

LXXXIIX. Per alvum purgantia qvæ morbis hisce & eorum causis opponenda veniunt conveniuntq;, ut ritè præscribantur, Medici prudentiæ incumbit. *Gabelchoverig* hunc in usum vini medicati præparationem descripsit *cent. 1. obs. curat. 17.* qvæ & nobis non displicet. Communiter autē præscribuntur folia sennæ, Epithymus, polypodium, radix hellebor. nigri (cui, *Freitagio* censente, rectius, qvam hypericoni nomen fugæ dæmonum competit, in *Aurora Medic. c. 20.*) & alia, non tam ut ipsum malum geniū, qvàm ut humorem melancholicum peccantem, in qvo nidificat Diabolus, qvive balneum & pulvinar ipsius proin vocatur, removeant. Addunt iisdem *Viri Experientissimi* qvoqve lignum indum, similacem, radicem Chinæ & sassafras: Qvod ipsum, ne offendat qvendam, præmonendum existimamus, dum sudorifera hæcce, qvo effectu nota sunt vulgo, commiscentur ex purgantibus

tibus illis: non enim vi tantum sudorem provocandi pollent hæc exotica, sed & insignem incidendi aperiendiqve obstructa viscera virtutem habent. Itaqve addita purgantibus, efficacius qvoqve vitiosos expurgant succos, abstergendo scilicet, & juxta reserando. Diaphoreticis verò commixta efficaciâ, qva pollent, penetrantiori & huic negotio adjutrices porrigunt manus. Nec minus salubrem eventum promittunt Clysteres, qvorum beneficio alternis diebus venter opportuno ausu proritatur. Pharmaca alia præterimus, qvæ indicationi huic inservire qveunt, cum de his passim toto flumine docti Medici. Si qvid autem restet adhuc, qvod purgantibus commodè evacuari non poterit, auxilium in sudoriferis alioqvin non ignotis, commodissimè qværitur.

LXXXIX. Diuretica etiam suum sibi encomium hic deposcunt, qvum fœdissima & turbida mingere ejusmodi patientes observaverint præctici, imò non rarò vermes, capillos & incredilia alia per urinarios hos meatus expulsa conspexerint. Unde refert *Heinricus ab Heer lib. mirar. observ. 13.* qvendam, non eqvidem Maleficio & Incantatione, sed Philtro pessimè affectum urinæ propulsu persanatum fuisse. Commendatur autem ad hunc effectum calculus humanus præparatus, item Ludus Theophrasto & noviter *Clarissimo Helmontio* notatissimus. Notandum tamen incantatis iis, qvibus urinæ retentio adimitur juxtim maleficio, qvemadmodum in Codronchio ejusmodi hisloria subest, qvi de juvene qvodam narrat, qvod in publico uriram mittere à malefico semper fuerit coactus, ea medicamenta, qvæ urinam promovere possunt, non esse exhibenda, sed potiùs contrà, qvæ cervicem vesicæ adstringete volunt.

XC. Seqvuntur nunc alterantia & specifica pariter medicamenta, qvæ partim internè & externè partim usurpantur. Repetimus tamen adhuc qvod diximus jam sæpiusculè, Theologorum nempe solatia & auxilia hic non susqve deqve habenda, sed incantamentorum causam primam devoto nisu removendam: A Medicis verò ulcera & alia vi malignæ artis procurata, manu & consilio salubri tangenda, tractanda, curanda. (*Libavius* in syntagmate arcanorum Chymicorum pag. 119.) Ex alterantium igitur

igitur ſimplicium eenſu auctores fermè omnes referunt, Hypericum (qvam plantam Dæmones & Magi cum ferre neqveant & omnibus eam fugiant modis, inde peculiari nomine fugam nominant Dæmonum) Rutam, verbenam, ſemen herbæ paridis, Vincam pervincam, Anthirrinum, Arthemiſiam, Abrotanum, Betonicam, Scordium, Centauriam, Santonicum, Ariſtolochiam, Pæoniam, Aſterem, Atticum, Thuſſilaginem, Anethum, Marrubium, Chamæpitim, Sclaream, Allyum, Aliſſum, Scillam, Erucam floribus albis, Succiſam, Muſcum Clavatum, Buxum, Lunariam, herbam Halicam, Satyrium exiguum, Sabinam, Laurum, Cupreſſum, Fœniculum, Cyclamen,) cujus radicem contuſam & in paſtillos redactam ſpecifica virtute adverſus veneficia valere dicunt (Semen Betonicæ) qvod ea die, qvâ comeditur ab omni maleficiorum genere hominem præſervare aſſerunt nonnulli, (item Myrrham, Lignum Aloës, Ambram, Moſchum, Corallia, Salem, &c. In qvibus omnibus, omnes verè auctores perhibent tantam vim & efficaciam ſubeſſe adverſus veneficia & eorum effectus affectusqve, ut penè à fabulis & nugis non aliena videri poſſint, conſiderantibus. Inter compoſita concelebrantur Tinctur. Hyperici *Minſichii p. 50.* qvæ morbos ab incantatione inductos emendare ab illo aſſeritur *vel* ℞. Herb. Anthirrhini cum ſemine Hyperici, Pyrolæ ana q. V. coqvantur in cereviſia, vel vino ad tertiæ partis conſumptionem. Doſis eſto manè & veſperi bonus hauſtus. *Codronchus* qvoq; *de morb. venef. l. 4. c. 2.* duo hæc ut univerſalia recenſet: Primum ℞ Hyperici præcipuè Sem. illius ʒj. vel ℈ j. margaritar. ℈j. F. Pulvis, qvi exhibeatur cum Unc. iiij. decoctionis, ſeu ſtillatitiæ aqvæ mellatæ. Alterum eſt hoc, ℞ thuris, myrrhæ, ladani ana Unc. ij. ſulphuris, Galbana unc. j Hyper. Ariſtol. ana Unc. ß F. Pulvis qvi eadem qvantitate exhibeatur. Vide qvoq; non inutilia hac dere apud *Prætorium in lib. de* Zauberey und Zauberern *p. 127.* vel ℞. Sp. vin. opt. ʒij. Eſſent. Perlar. Coral. Semin. perfor. ana ʒß Ext. Junipe. ʒß, M.

XCI. Externa ſunt amuleta, periapta, ſuffumigia, ungventa balnea, &c. Et qvod Amuleta ac Periapta attinet, ſunt ea ſpecies adverſo incantationem propriè uſurpari ſolitæ Nunc verò in genere ad qvamvis medicinâ & qvosvis curandos præcavendosq;

morbos pertinent. Amuleta autē vocata sunt àvi amoliendorū & depellendorū venenorum. Periapta verò vi græci etymi dicuntur, qvod resqvædā circumnecti, circumappendi, vel adalligari partibus qvibusdā corporis, ut collo carpisq; hoc in casu soleant. Sunt autem duplicia: naturalia & supernaturalia: *hæc* inanibus qvibusdam verbis, prophanis, sacrisve nominibus constant, intermixto etiam ad tegendam Dæmonis fraudem nomine Jesu, ut *B. Augustinus in Evang. Joan. tract. 7.* hac annotat: Adeoq; bonis Medicis ea ut ab impietate haud aliena plane respuenda judicat. Et nos pariter cum illo. *Illa* constant physicis remediis, eorundemqve manifestis vel occultis ut plurimum facultatibus. Sunt ergo amuleta & periapta illa efficaciæ physicæ, hoc est, substantiæ suæ proprietate, & genuinis qvalitatibus, qvamvis nobis non cognitis, semper ea agere dicenda, qvippe qvæ absqve ulla ceremoniarum & anilium precum superstitione, sineqve certi alicujus ritus & magici susurri vanitate colliguntur, præparantur, admoventur. Probanda tamen non tàm ratione, qvàm experientia, indicante sic *Pergameno* nostro *cap. 5. lib. 2. de compos. secund. loc.* Neqve obstat qvo minus ea usurpemus, qvanqvam animi nostri captum excedant, cum intellectus noster qviescere debeat in re obscura, ubi τὸ διότι asseqvi non possumus, si ipsum ὅτι ἐστὶ sit absqve malaqvadam suspicione certum & indubitatum. Præclara autem hac de re habent *Antonius Mirindolus exerc. 10. & Johan. Pharamundus. Rhumelius in Antidotar. Chymico p. 155.* amuletum peculiare in hoc morbo designavit. Nos pariter designamus adhuc ejusmodi singulare practicis qvibusdam secretè habitum, vel referendi animo: ℞ Mercurii Crudi drach. 1. & qvam optimè pennæ cauli include, ceraqve consigna. Dein ℞. Herb. & flor. hyper. capill. vener. q. s. acum, qvæ defuncti cujuspiam causa, e. g in suendo ferali indusio, fuit usurpata (En hoc solum ingrediens suspectum reddit medicamen, qvod tamen miræ nihilominus virtutis esse confirmatur.) qvæ omnia linteolo bene involvantur & sic collo gestentur.

XCII. Suffumigia qvoqve in hisce morbis Medici tàm antiqvi usurparunt, qvàm recentiores adhuc usurpant. Et hinc proverbialis forsan locutio: ille hoc pertimescit, non secus, ac Dæmon suffitum thuris. Ea ipsa autem pro varietate morborum parant

parant varia, qvæ licet aliqvoties mortem acceleråſſe in actuali applicatione obſervaverint qvidam; attamen ſi vires adſint, corpusqve ſit robuſtum, in conclamato morbo melius eſt uti aliqvo præſidio, qvam nullo, ut diſerte monuit Galenus. *lib. 10. meth. cap. 10.* Parantur autem illa non raro ex rebus violentioribus, ex hoc capite, qvod duro nodo durus interdum qværendus ſit cuneus, ut ſulphure, cinabrio, auripigmento, ſublimato, vel rebus etiam benigniorib⁹, ſantalo albo, citrino ſtirace clamit. ligno aloës, cinnamomo, caryophyllor, aſaro, thure, moſcho, ambra; Nonnunqvam ex ſimplicibus etiam *ſupra* notatis qvædam admiſceri ſolent & poſſunt. Hæc autem, ne effectum ſilentio involvamus, rarefaciunt, aperiunt poros, nec ſolum cor & cerebrum roborant, humoresqve frigidos & malignos diſcutiunt; verum etiam humores peccantes evacuant per ſudorem, ſputum & alvum. Adminiſtrantur tamen præmiſſis præmittendis, id eſt, corpore prius recte riteqve vacuato. Interdicenda vero ſunt in illis, qvi tuſſi, aſthmate, cruentaqve ſpuitione laborant. Utimur præſertim illis, qvando aliqvod membrum particulare affligitur, v. g. crus, brachium &c. & tunc hæcce membra iſtis ſuffumigiis adgredimur. Peculiare ſuffumigium adſcribimus hîc, qvod ex dentibus hominis demortui cum ſpiritu vini præparatur, & tempore ſomni, ut ſudor eliciatur, debito modo adhibetur, poſtea vero membrum dolore tabens asâ fætida fricatur, vel oleo qvoqve camphoræ. Qvibusdam etiam placet ex junco ſuffitus: vel fumus fiat ex Bacc. & ligno Junip. ſangvine Canis nigri, felle canis. &c.

XCIII. Sed qvid de ungventorum uſu hic exiſtimandum? Adprobamus illum ſummopere, practicorum corona concorditer ſic conſentiente. Hujus rei experimentum fecit *Bartholomæus Carrichterus in lib.* Von Heylung der Zauberiſchen Schaden qvod tale eſt: ℞ Adipis canis benè liqvati & mundati Unc. iiij Adip. urſi mundat. Unc. Viij. caponis ℔ij, tres truncos viſci colurni adhuc virentis, fruſtatim ſectos, & tuſos, ut humeſcant, contunde, & ſimul lignum folia baccasqve adde, omniaqve miſce in phiola, qvamcum ſoli expoſueris novem ſeptimanis, virentem balſamum extrahes, eoqve veneficiatorum corporum

loca maximè dolentia & juncturas diligenter inungendo curabis, qvod ipsum Henricus ab Heer in puella qvadam præstitit. Probatum & alioqvin est. *Vel* ℞. Auxungiam caponum ℔j. Bacar. Fol. visci tiliæ Coll. in signo Balsamico manip. iij. Contunde in mortario vitreo vel ligneo cum tali pistillo, & fiat in sole ungventum. Vel ℞. Pinguedinem catellor. Unc. iiij. Axung. urs. mundif. Unc. iij. Capon. ℔j. visci, Baccar. & folior. Coryl. M. iij. & F. in mortar. lign. ungventum. *Vel* ℞. Fungor. rubr. vulg. (rothe Erdschwemme) inferiorem partem terrâ tectam, & qvidem ejus in specie M. iij. ping. capon. ℔. F. parili modo ungventum qvo, sicuti & præscriptis decenti dictoq; modo utere.

XCIV. Emplastrum qvoqve talis efficaciæ consignavit *Mynsicht.* qvod sic se habet. ℞. Asæ fætidæ Unc. iij. granor. antirrhini (qvæ sceleton repræsentare dicuntur) Drach. iij. fol. qvercus Drach. ij. Corallior. rubror. Pulver. magnet. ana. Drachi. ℈ß mis. & F. cum oleo Hyperici emplastrum. Hoc enim Emplastrum, inqvit ille, ad qvævis maleficia stupendum est experimentum, & cœlitus qvasi demissum, supra centrum enim loci, ubi cruciatus urgent positum, non veneficium duntaxat ipsum, verum & omni phantasmata incantationesqve sine superstitione confestim fugat. Qvidam, qvam primum qvis sentiat ex incantatione dolores, stercus proprium calidum adhuc, instar cataplasmatis adpositum commendant, qvod si postea fumo exponatur, sagæ exin statim conciliabitur oculorum insignis rubor & corporis spurcissimus fœtor, ideo, ut hinc eos cognoscere postmodum liceat.

XCV. Balsamum itidem ad hunc usum spectantem, diuturna experientia comprobatum, diuturnâq; diligentiâ in arcanis habitum fideliter nunc commnnicavit *Dn. Schroderus in Pharmacopœia Med. Chymic. lib. 2. c. 72.* qvem omnia cunqve incantamenta & nocumenta Magica jam inflicta, stupendo planè modo, irrita facere & persanare, sive intrinsecus sumptum, sive extrinsecus adhibitum, attestatur. Hoc autem medicamento inungendi sunt afflicti, qvod qvantitate trium cochlearium bibendum etiam exhiberi potest. Experieris certè vim admirabilem, cum vel ea, qvæ incantando corpori impacta, per magnum ali-

qvod

qvod ulcus, tanqvam emunctorium, excitatum protrudet, vel per vomitum rejici efficiet, aut tandem per inferiora exire coget, ita ut æger hâc ratione incolumis rursum evadere possit.

XCVI. Balnea deniqve locum suum hic etiam habent, qvibus incantati, jejuno stomacho, præsertim si membra dolorum atrocitate detineantur, & contractura iis, vel emineat, vel jam adsit, per duas horas fovendi, & qvidem ex decocto foliorum filicis, qvorum manipuli XL. & scrophulariæ, cujus M. X. sumantur; Vesperi verò per horam unam ante cœnam id fieri potest: qvod balneum singulis qvinqve diebus ex recentibus denuò parandũ, ubi tertia vice propartio herbarum tam filicis, qvam scrophulariæ accipienda. Celebrato balneo inunctio postmodum instituatur membrorum ex balsamo Visci Tiliæ, seu ungventis illis *prænotatis*.

XCVII. His præsuppositis omnibus, specifica qvædam à qvibusdam egregiæ peritiæ viris notantur laudanturqve, v.g. volunt ut Radix Urticæ die Paresceves ante exortum solis effodiatur, & tres particulæ ejus vitro immittantur, super qvas mittat ægrotus lotium, & sic claudatur reponaturqve illud, qvo facto, statim fascinum solvi, imò & fascinatoris illius vesicam disrumpi si non solvatur desubito fascinum. Pariter qvidam practici inter arcana sua herbam qvandam habent commendatam, qvæ si injiciatur in ollam novam & superfundatur urina patientis, illaqve dein benè cooperta & perlutata lento admoveatur igni, atqve postmodum defodiatur in loco solitario & deserto, veneficam post coctionem sangvinem cum maximo dolore per aliqvot dies mingere, vel intensissimos dolores percipere; ægrum verò à maleficio liberari, ipsis compertum & probatum est. In specie autem & speciali curâ notandum, qvod si incantatrix tactu læserit (ita etenim manus præparat suas herbarum qvarundam succo madefactas, & rursum exsiccatas, qvibus postea adjectis Diabolicis imprecationibus hominem tangit aut verberat) ita & postea doloribus torminibusq; corripiatur (illa enim successivè ingravescere solent, donec totum corpus occupaverint, & contracturam introduxerint) tunc si inflammatio unà adfuerit, locq foveri lixivio debet ex cineribus ligni qverni parato, in qvo radices filicis juxta

decoctæ,

decoctæ. Post accipe aqvam stillatitiam muſci capillaris (Germ. Wiederthon) ante ſolis ortum effoſſi, & nemine vidente deſtillati, (qvam circumſtantiam cum præſcriptam reperiamus, etſi valdè ſuperſtitionem oleat, omittere hic etiam noluimus) cui immiſcēdus ſangvis catelli maris, ſi patientiens ſexus maſculini, aut fœminæ, ſi decumbens ſit fœmina, ex ſiniſtra auricula exceptum, eaq; mixtura locus ſedulo deligetur & membra dolentia undiqve ungventoex Coryli viſco linantur. Et ſi apertio forſitan facta fuerit, inſpergendum pulverem herbarum antirrhini & muſci capillaris præcipiunt. Si verò incantatio per homunculum ſeu effigiem ex cerâ formatam, & diabolicis ceremoniis execratam, qvam variis modis, verberibus nempe, ictibusq; & igne affligere ſolent veneficæ (qvâ ratione illæ, in cujus exitium ſimulachrū eſt conſtructum. ſubitanea anxietate & immani dolore in eo membro corripitur) facta præſumatur, aut ſciatur, principio ſtatim, antequam ſeptem horæ fuerint elapſæ, jubent ut proprio patientis ſtercore, allio ſylveſtri immixto, centrū plagę muniatur, in ſuppurationē vertatur & poſtea ſuperpoſito Opodeldoch curetur. Si verò præterierit tempus jam dictum, & membrum juxtà inflammationem conceperit, tunc qvamprimum extingvenda ea decoctione fol. qvercus, rad. filicis, cum aq. cancrorum, & ſper. ranarūmiſta. Peculiares hujus rei hiſtorię & obſervationes adhuc apponi poſſent, niſi eſſemus jam certi nos, qvicunq; etiam ſe caſus offerat, jam ſatisfeciſſe in antecedentibus. Hoc tamen adjicere, vel ſciendi cauſa, adhuc præſtabit, nempe qvod non pauci arbitrentur ſangvini vim ineſſe medicam antidæmoniacam. Ita enim notat *Lud. Banairolus in Enneate Mul. c. 2.* qvod ſi menſtruo cruore poſtes alicujus domus tangantur, magorum dęmoniacis artibus ac inſidiis aditus omnis præcludatur. Similiter & gentiles in lupis contra veneficia qvęrebant remedia: qvacirco notante *Pl. l. 28. c. 10.* roſtrum lupi inveteratum villarum portis præfigebant, ut ſic reſiſterent veneficiis.

IIC. Sed qvid de faſcino, qvo impotentia virilis inducitur, hic ſentiendum, an ſcilicet illi remedio qvopiam iri poſſit obviam? Non negamus magnam hic ſubeſſe difficultatem in curatione, & ſæpiſſimè impoſſibilitatē ipſam, adeò enim efficaciſſimæ medelæ & ſumma Medici induſtria deluduntur à contumacia ſæpiuſculè morbi

morbi,&ſagarū perverſitate,ut Hic demum abire,& prognoſtico ægrotum relinqvere cogatur. Veruntamen&in hoc caſu remotas effaſcinationes & percuratam impotentiam illam Medicorum experientia conteſtatur. Medicamenta autem,qvæ iis dari debēt, facultatem generantem ut concernant neceſſe eſt,qva inde ejusmodi remedia adhibentur fructu exoptato,qvæcalorem nativum corroborare,maſſam ſangvineam defæcare, & ſemini augmentū urgens ſuppeditare valent. Convenientiſſimus potus erit ille,ante Solis ortum exhibendus. R. vini malvatici optimi poculum unum,hoc eſt Unc. vij. Eſſ. ſat ʒj. Tinctur hyper conſtellat ʒij. Tinct. antirrh ʒſs miſce & poſtea prælaudata ungventa adhibe. Vel Rſ. Elect. diaſatyr. ʒſs ext. hyp. gr. vij. vinimalvat. ʒvij. F. hauſtus. Item ſperma cervi in ſpiritu vini opt. commendatur. Deniq;etiam tanqvam ſpecificum laudant,pudendum cervi vel bovis etiam,exſiccatum inq;vino datum;item lac ſuillum & veſicam porcelli exſiccatam & pulveriſatam. Verum ut plurimum ejuſmodi homines in nuptiis defixi recurrunt ad ſagaces illas ſagas,& ab illis rurſus auxilium efflagitant cujus rei veriſſimum recens exemplum hoc in caſu mihi retulit *Cl. Anatomicq noſter Dn. D. Langius*, qvod ab aliqvo viro-juvene,plus qvam per ſeſqviannum hâc miſeriâ afflicto, nuperrimè percepit:hic enim dum paſſim paſſimq;Excellentiſſimorum Medicorum auxiliis conſiliisq; uſus nihilominus tamen nihil profeciſſet,tandem ad vetulam qvandam perveniens calamitatem ſuam,novæ nuptæ odioſam valdè,expoſuit ipſi,qvæ ſtatim tale conſilium ſuppetiit & juſſit, ut noctu accederet patibulum, illiusq; columnam unam ejusmodi Terebra perforaret ut genitale transmittere,& ſic urinam trajicere poſſet: paruit ipſe,& mandatum,ſicut,qvod dicitur,vina Bacchus,exhauſit:qvo facto rediit ſtatim amiſſa virilitas,cujus adhuc usq; feliciſſimus poſſeſſor eſt. Verum qvàm rectè hoc fiat,qvivis facilè ex theſibus hisce meis colligere poteſt; ingenio tamen neceſſitatis hic tribuendus error, cui ultimis ſæpè conſiliis animum aperimus,& vel ab hoſte etiam petimus auxilium.

IC. Tandē adnectimus dictā ſeu illū vivendi modūqvoq;,qvē, ſicut ubiq; laudant Medici,&ſanitatē illi tanqvā filiā tribuunt,ita & hîc valdopere obſervandus eſt ille. Non opus autem dicimus

multa

multa adhuc de eo differrere, cùm Medicus tùm præsens qvid agendum hâc in parte, qvidve omittendum, ac fugiendum, melius commodiusq́; consulere poterit. Brevissimis ergò nos expediemq; & aërem eligendum esse purum, temperatum, nec vaporibus fœtoribusq́; inqvinatum suademus; panem benè fermentatum & absq; immixto lolio confectum commendamus, hoc enim symptomata aliàs magna adducit, veluti *Gal. 6. de simpl. med. fac. & 1. de alim.* ac *Wier. de præstigiis l. 3. c. 18.* recensent. Ebrietatem ipsissima peste pejus fugiendum submonemus, & occasiones animi pathemata incurrendi omnibus modis & viribus fugiendas præcipimus. Vidimus enim supra, qvid melancholia excedens valeat, & qvam citò incantationum accessiones promovere qveat. Non absonè perturbationes animi, morbos mortalium nuncupârunt Stoici, cùm iis ipsis hominum mentes gravius, qvàm æstu febriq; afflictẽtur corpora: nec vulgo ineptè ferri pronunciamus: animum unum corpora consumere multa. Sunt nempè tristes hi mentis affectus horridæ illæ nubes, ac procellæ illæ, qvę fragilem vitæ cymbam in scopulos & adincitas trahunt. Sed dices nullus legislator animi potest affectus prohibere, cur Medici tentant? Revera sic tentant, & id ex jure officii sui: verum sæpè numero incassum; non suo, sed illorum, qvibus fræna affectibus hisce immittere svadetur, magno cum malo. Commoda enim suggerunt Medici, qvę si à clientibus non accipiantur, incommoda qvoq; ferant. Dominante autem affectũ tristitiâ, Dæmon facilius assеqvi potest qvod ambit & ceu leo rugiens qværit, ut jam suprà hâc de re clarius.

C. Sed non ultra, neq; plura de Dæmonis ejus complicum deliciis nunc addere lubet, grandius ne fiat, qvod decreveram brevibus paucis pro familiari mihi penuriâ delineare: præsertim qvum hæc mihi mens, ut me duntaxat velle ostenderem, alios posse. Adoramus autem supplici voto sanctissimum supremumq; Numen, utà Diabolo, qvi vel duobus bolis (ut eleganter ludit in etymo nefandi hujus nominis Hugo) animas & corpora nostra discerpere gestit, nos clementissime custodiat, & ab omnibus ejus incantationibus præstigiisq; cunctis nos salvos servare almâ protectione suâ dignetur. Sic salus nos servet!

F I N I S.